


BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII

818

Ms. B. 1. 1. folio 1 verso. minuscule





P A N E G Y R I C I
N V P T I A L E S
R E G I S P O L O N I A E S I G I S M U N D I
A V G V S T I.

&
I O. C H R I S T. C O M I T I S T A R N O V I L.

S T A N I S L A O O R I C H O W I O R O X O L A N O
conscripti olim.

Nunc ad Augustas,
S I G I S M U N D I III. P O L O N I A E
ET S V E C I A E R E G I S O P T I M I , &
C O N S T A N T I A E, C A R O L I
A R C H I D U C I S A V S T R I A E F I L I A E,
Nuptias.

G A B R I E L I S I O A N N I C I I R E G I I P R O F E S S O R I S
& Collegae Maioris, opera,
boni omnis causa è tenebris in lucem producti.

C R A C O V I A E.

A p u d V i d u a m I a c o b i S i b e n e y c h e r .
A n n o D ñ i, 1 6 0 5.

REGIS POLONIE SIGISMUNDI
AESTRI AVESATI
NAPOLIALES
TANEGYRICI

CHRIST COMMITTEE TAKES AIM

A circular library stamp with the text "BIBLIOTHECA POLONIAE" around the perimeter and "VARSIVIA" at the bottom. In the center, it says "1770".

XVII-818-III
GARRAIS & ANTHONY REED PROCESSORS
College Majors, etc.
Post Office Savings Bank

CRAICOAIE

Aquab Viburnum Isopodi Gippocampus

road to India and Asia

ILLVSTRI SENATORI,
STANISLAO A MINSCO,
PALATINO LANCICIAE,
CAPITANEO PLOCIAE.
Patrono suo optimè merito.

GABRIEL IOANNICIVS S. P.



Ogitaui aliquando, Magnanime & sapientissime P^{re}latine Stanislæ à Minsco, præclarum & ingenuo dis-
gnum laborem visum iri, quām plurimos in eo indu-
striam exercere, vt rerum & hominum nostrorum
quām latissimè gloria peruagetur. Non enim vt ani-
mal quod Ephemeron dicitur, quod eius vita vnius
dici curriculo terminatur: ita recte factorum & cogi-
tatorum breuis esse debet memoria: neque, quæ dum geruntur in admira-
tione sunt, vbi agi desierunt, in obliuionem debent incurrere. Cūm enim
omnes diutinā natura, imò si fieri posset immortalem, vitam cupiamus: tum
verò ingeniorum, gloriæ, famæ, constanter factorum, consiliorum pro pa-
tria susceptorum/immortalis profecto memoria, quasi vita quædam esse de-
bet: vt non tantum illo suo tempore profuisse; sed perpetuo ad famam vita
& laboribus perfuctorum, & ad eandem virtutis & gloriæ viam ingresso-
rum incitamentum, valere cognoscantur. Quod cūm externi omnes sapi-
entes homines magna æmulatione faciant, vt suorum memoriam, non tan-
tum conferuatam sed etiam auctam cupiant: cur non idem nos nostræ quo-
que patriæ velimus, cūm debeamus, causam existimo esse nullam. Enimue-
ro ita iudicaui semper: quamuis multa singularia ingeniorum suorum mo-
numenta vnaquæque natio reliquisset: nondum tamen doctis hominibus
nos esse superatos. Nec vero numero volo, sed genere ipso eruditorum con-
tendere. Nam quis neget, plura illis licuisse præstare, ad quos maturius li-
teræ peruererunt? Sed tamen in copia, plurima sunt quæ reicias: vbi scri-
bentium

Præfatio.

bentium maior est impetus, quām delectus. Ac ne quid cuiquam detrahe-
re, quod neque volo, neque debedo, aut inuidere videar: satis est ad glori-
am nominis Polonici, primum quidem seculo, in illis etiam Italiae & Gallia-
rum Hispaniarumq; nationibus eruditis, barbaro, non defuisse nobis ali-
quos, si non literarum authores, at rerum tamen nostrarum scriptores: reui-
uiscente autem, & quasi ex calamitate respirante eruditione, ita nostros non
infelices esse doctissimis quoque externis hominibus visos; vt quanquam
eam doctrinae & ingenij possessionem sibi præ nobis propriam esse vellent;
ingeniis tamen nostrorum ita locum reliquerint, vt & viuos in societate sua
tulerint, & defunctos ex literisq; tantum notos, laudationibus sint prosecuti.
Itaque magna cum laude Strusius Patauij medicinam docuit: editoq; Sphi-
gmicorum libro, ita ibi ab illis clarissimis Professoribus laudatus est, vt eius:
libri, uno die, octingenta exempla distracta sint. Martinus autem Nicolaio-
vius apud Hispaniæ Regem, in illustri loco & fama medicus, ad Regis Phi-
lippi & suam mortem clarus vixit. Quid Copernicus Torunensis, an non, vt
olim Hercules Atlante laborante cœlum sustinuit, ita ille motum cœli do-
ctrinam restaurauit? Vitellius an non in Optica summus fuit? Grisepsius ante-
xxx. & amplius annos, non Budæi libris de aſſe, suum de talento & ſielo, sup-
plementum in hac nostra Academia, cum summa Polonici nominis gloria
conſcripsit? Nouicampianus non magnus in Theologia ſemper fit? Vngari-
amq; à religione aberrantem, non obnoxie, perorando, & ſcribendo, quan-
tum potuit, à præcipito retardauit? Quod ſi recenſere vellem, id quod piè
facerem, omnes quorum eruditionis fama, libris editis vulgata eſt; arduum
negotium fufciperem, ac cum ſciā me omnes non poſſe, citarem fortaffe
tantum ex recentiore, & penē noſtra memoria, Socolouium, Goslicium, Cro-
merum, Vapouium, Patricium, Rſcium, Herbortum, Roguſſium, Solicouium,
Gorſcium, Cochaniouium, Herbeſtos, Scargam, Varſeuſium: infinitum
enim eſt alios apellare, etiam fama notos: quorum ſinguli non in uno tan-
tum aliquo valuerunt, ſed ad rerum magnarum, tam diuinarum quām hu-
manarum cognitionem, attulerunt eam facultatem orationis, vt res ipſe per
ſe grauiſſimæ, cultu & nitore verborum ab ipſis illustratæ, id præſliterint; vt
deinceps non barbaro, ſed elegantissima, nec inhumana & fera, ſed literis
& moribus culta, natio audiamus. Atenim neque Hesperus, neque Lucifer,
ita eſt admirabilis, vt illud Poloniæ & Ecclesiæ decus, Hosius Cardinalis var-
mienſis: qui &ſi non primus in Poloniā purpuram intulit: primus tamen
in illa tantus fuit, vt in illo Oecumenico Tridentino Concilio, totius orbis

docti-

Praefatio.

doctissimis & sanctissimis Patribus, Legatus Saceræ Sedis Apostolice, & Con-
silio præses, præfuerit: Quo munere ex dignitate gesto, cui nationi, non di-
co non adæquauit; sed non antetulit genus & nomen nostrum? cùm ab illi-
us sanctissimi sensis ore & mente, penderet orbis vniuersus. Quibus rebus
cognitum est: gentem Polonam, quæ iam pridem bellicæ fortitudinis, & sci-
entiae militaris famam, tot ferarum nationum impetu, suis viribus, nullis ex-
ternis auxiliis, cōcito & represso, obtinebat: quæ continentiae Regum su-
orum & iustitiae laude, alienis etiā sponte oblatis, imperiis abstinentium, ne-
que tanta ambitione & cupiditate superatorū semper florebat: hanc eandē
omnis melioris disciplinæ, doctrinæ, honesti, constantiæ, elegantia, iusti,
æqui, diligentissimam alumnam esse, fuisseq; semper. Quam laudem etsi Po-
lonis virtus eorum peperit, eam tamen in lucem & hominum commendati-
onem, scripta doctorum virorum produxerunt: qui nisi extitissent, nos in
tenebris ignorationis iaceremus; ac ne fuisse quidem putaremur, à posteris.
Qua in relaudare soleo Tacitum Imperatorem, qui scripta Cornelij Taciti,
quem parentem suum vocabat, quois anno decies describi, & in publicis
bibliothecis collōcari, editio iussit. Est enim laudabile, eos ab iniuria tem-
porum vindicare; per quos in hominum commendationem producti, &
obliuioni exempti sumus. Itaque mihi nil tam in votis est, quam ex nostro-
rum hominum libris proficere. Velle autem Tacitum aliquem existere
Imperatorem, qui omnia corum diuina & admirabilia ingenij & doctrinæ
monumenta, autoritate & liberalitate sua, extare patiatur. Ego verò quod
potui, vnius è Roxolanis meis, hominis & dicendo & iudicando summi, Sta-
nislai Orichouij, quasdam reliquias, ceu è naufragio quodam vetustatis ere-
ptas, collegi laboreq; non mediocri meo & sumptu, iuris publici esse volui.
Qui cum ingenio esset, summis quibusq; etiam antiquæ memoriae, Philoso-
phis par: dicendi verò copia & facultate, Demosthenem aut Ciceronem,
vel Periclém æquaret: multa & in re ciuili, & in nostrorum hominum lau-
dibus scripsit: plurima contra religionis hostes edidit: historiam eti-
am attigit adcoq; cum summis viris Italiae amicitiam, doctrinæ commenda-
tionem, conseruavit. Sunt eius ad bellū Turcicū cohortationes, sunt regni ge-
rendi præcepta, sunt ordinis sacerdotalis & Ecclesiæ propugnationes, va-
riis temporibus, literis consignatae: audio quædam de Repub. autographa
ipsius à quibusdam priuatim, cùm nominis eius forsitan, certè cùm publicæ
vtilitatis iactura, detineri. Mihi verò cupienti, eius ingenium ab omnibus
regustari; hi potissimum Panegyrici, publicè proponendi videbantur. Etsi

Praefatio.

enim ille ubique sui similis est, id est copiosus & grauis , & qui quo velit possit
dictis impellere : in Panegyricis tamen istis talis est, vt satiari iucundissimae
orationis elegantia & suauitate non possit. Narrandis enim illis, sive Regi-
is, sive Tarnouianis quae a regiis erant secundae, nuptiis : ita ibi, tum Regi-
am & publicam, tum Senatoriam magnificentiam exposuit; ita opes nostro-
rum & facultates , splendoremque & elegantiam tam in vietu quam in cultu
corporis; humanitatem denique tam in sermone quam in moribus, ostendit:
vt non narrare eum hec, sed oculis res ipsas obiicere, existimes. Et verò cum
in argumento versetur persimili, ei quod omnium modò studia & cogitati-
ones meritò occupauit: cuius causa tanti ab omnibus sumptus fuit, tot sub-
structiones excitantur , arcus ingeniosissimis emblematis intexti extruuntur:
nobilitas totius Poloniae Cracouiam in Vrbem Regiam concurrit, exter-
norum Regum & Dynastiarum legati conueniunt: exultimai tempus ipsum
monere me, vt Orichouium, illam quoque Augusti Regis nuptiarum, senibus
oblitam, iunioribus ignoratam magnificentiam referentem, è tenebris e-
ducerem : in gratiaque tam externorum quam nostrorum ponerem: cæteraque
eius scripta, plena huius ciuilis Philosophiae, cognoscendi cupiditate, eos
inflammarem. Quem ego authorem, quod tuo præcipue, Ampliss. Palati-
ne, fauore & commendatione dignum iudicau: iccirco eum, nomine quoque
tuo insignitum, prodire volui. Cum enim tu etiam, ad has, omnium votis
cupide expetitas, Regis Sigismundi Tertij, & Constantiae Austriacæ, nupti-
as, magnum ordinem splendidissimi comitatus, equis & viris lectis con-
ficeris: quasique à te ipso discedens, qui antea semper , magnitudine animi
& ingenii, virtutisque tuae gloria & præsidio fretus, inutile tibi longum famu-
licium & barbaros stipatores putabas, teque ipso, magis quam his quæ ex-
tra te essent, magnus esse malebas; nunc commutata paulisper ratione, Regij
& communis Polonici honoris gratia; non tibi quidem ex hac, quamvis ne-
cessaria, profusione & splendore famam; sed ex studio & benevolentia in
Regem, fidi Senatoris & obseruantis consiliarij testimonium, quale etiam
vulgo hominum satisfaceret, compararis: hoc putati magis insignem co-
mitatum tuum fore, in omniumque horum, Italiæ, Persidis, Germaniæ, Mo-
scouiae, Austriae, Galliae, Silesiae, Bauariae, aut legatorum, aut hospitum, qui-
bus plena videtur Cracouia, ora & oculos incursum: quod non equos
alatos aut elephantes turritos ut alij; neque Persicum tantum, Thraciumque,
aut Arabicum, aurata veste & gemmis, adamanteque vel pyropo insignem ve-
stitum, quo etiam tuus, etiam cæteræ nobilitatis eques, in tanta celebrita-
te abuti.

Præfatio:

reabutitur, circumferas : sed rediuiuum hominem Sarmatam, à me , tan-
quam Iolaum aut Thespesium , à mortuis excitatum , inuicti spiritus , &
diuinæ facundiæ virum, sui nominis & generis virtutem detonantem, tibi-
cinem virtutum Regiarum , qualem Alexander ad Achillis tumulum . Ho-
meri recordatus, optabat ; qualem his istis nuptijs Regijs, quæ, ni fallor, il-
las Orichouianas excedent magnificentia & splendore ; bonis autem omni-
bus, & euentu ipso, longissimè relinquent, dari cupiam, præ te agas. Pu-
to autem, iucundam personam hanc, in tuo comitatu, tibi fore. Tu es ille
quem in Ocessio & Choiennio Tomicioūc delineat Orichouius : tuae sunt
laudes, quæcunq; innocentiae, continentiae, magnitudini animi, constan-
tiæ tribuuntur : tu, quod à Senatore Orichouius exigit, peruagatus es, vt
Vlysses Græcus , aut Tarnouius Sarmata noster , multorum populorum vr-
bes, regum sedes, Regnorum & Rerumpub. mores. Quod si de tua doctri-
na, de vi & copia dicendi, de amænitate ingenij & styli tui , si de ijs virtuti-
bus, quibus non tantum in patria; quod est maius, sed etiam, quod est splen-
didius, foris & amabilis. & admirabilis es , tanquam testis dicam : aut, quia
in tantulo teste authoritas exigua est, si grauissimorum hominum sententi-
as de tua insigni virtute colligam : præclarum, imò absolutum, viri boni, &
boni Senatoris, addo etiam magni, exemplum es. Talibus itaq; virtutibus
amicum, dicendiq; rationem, qua & tu vales, amantem, Orichouium hunc
mēum, sapientissime & Ampliss. Senator, benignè accipe : & quia non est
quantiuis precij, vt quilibet Romanis, Persis nobilitate, sapientia Græ-
cis non concedat ; etiamq; quia Regis, vt decet, studiosissimus est; in Palati-
tum quoq; si placet, introduc : meq; post cum aliquo loco, & apud te sem-
per, quod facis, esse patere, & vbiq; expedire putaueris. Vale Senator
Ampliss. & his virtutibus quibus præstas, Rempub. diu, & tuos, &
literas bonas tuere. Cracoviæ ex ædib. meis in vico S. Flori-
ani. Anno Domini, x 6 o. 5. VI. Kal. Dec.



ILLVSTRI DOMINO IOANNI TAR-
nouio Comiti, Ioannis Crac. Castellani filio, Sando-
miriae Capitaneo, Ferdinandi autem Regis Romani Aulico.

STANISLAVS ORICHOVIVS RVTHENVS S. D.

Panegyricum, cliens patris tui clarissimi viri, ad te
mitto: ut eius Ferdinandi Regis laudes cognoscas, in
cuius aula es illustri. Magnus et memorabilis Rex, cum
ceteris rebus omnibus, tum quod in patriam nostram benigne
effusus, eniterum alias nobis felices ac faustas confecit nu-
ptias: quas silentio praeterire, neque ius, neque fas est: ne vel in-
grati erga tantum regem, vel ad illius officium muti, esse vide-
amur. Tibi porro adscripsi lucubrationem hanc: ut dum in
aula Ferdinandi Regis adolescentiam tuam traducis elegan-
ter: cognoscas, quae te absente, Ferdinando auctore, in patria
tua gerantur. Cum enim sis unicus, non solum praeclari pa-
trimonijs, sed etiam paterna haeres gloriae: id speculare debes,
qualis patria, qualis ciuem te sit habitura. In qua cum ma-
iores tui principatum semper tenuerint: te in ea quoque primas
sequi, nec in ultimis consistere, pulcherrimum fuerit. Ad id
cohortentur te, cum prisa maiorum tuorum exempla, tum pas-
tris tui viua, atque recentia. Meum autem in te studium gra-
cum tibi esse cupio: proque mea erga patrem tuum obseruantia
abs te peto, ut me in deditorum tibi numero habeas. Quod si
feceris, dabo operam, ne te paterni clientis poeniteat. Sed iam
Panegyricum audi, quem non ille Atheniensis Isocrates,
praeclarus eloquentiae author: sed barbarus, ac Polonus
scriptor confeci. Quem quidem cupio tibi esse
commendatissimum.

P A N E G Y R I C V S
N V P T I A R V M
S I G I S M V N D I A V G V S T I
P O L O N I A E R E G I S .



VTO VOS SCIRE EX
me velle, quonam modo Regis
nostrī fuerint institutæ, & con-
fectæ nuptiæ : tum etiam , quæ
ratio aduentus reginæ : qui illi-
us excipiendi modus: quod ho-
minum studium, quæ spes, que
alacritas, sub aduentum illius,
in Polonia fuerit. Hæc vos à me fortasse in hoc
confessu vestro requiretis. Morem vobis geram , neque
patiar vos tanti expertes esse gaudii, cui par haud scio
an poterit reperiri. Narrabo ergo vobis rem iucun-
dam auditu : eorum etiam cognitione dignam , qui
literis seruant res in Polonia memoratu dignas : idq;
faciam ut in πανηγυρι, solet ; in qua sedatis animis lœtæ
traduntur, & accipiuntur res. Abstinebo igitur ab illo
dicendi genere sublimi, perturbat enim animos. Hu-
mili etiam non attingam, extenuat enim res. Medi-
cri oratione erimus contenti , quæ vos lœtificet , ac

A

omni

Panegyricus Nuptiarum

omni spe detiore leuet. Quod sit munus meum vi-
detis: nunc vestrum illud erit officium, has ut fauen-
tes audiatis nuptias. Res ipsa sibi apud vos audienti-
am faciet, si & initium, & exitum nuptiarum volueri-
tis perattentè cognoscere: quibus neque sumptu ma-
gnificentius, neque apparatu splendidius, neque spe
bona iucundius, homines se vidisse quicquam, aut au-
disse, aut legisse, passim commemorant.

Et ne procœmiū narratione fiat prolixius, rem ipsam
dicam. Quod vt cumulatè faciā, altiùs paulò, rei expli-
candę causa, repetā veteres illas, & proprias Austriacæ
domus laudes: in qua salutem terrarum orbis inclusit
Deus, vnde humanum genus in rebus dubiis spem, in
afflictis consiliū, in perditis verò flagitaret auxiliū. Hęc
est enim illa domus, quæ non solùm Germaniam, sed
omnes vicinas gentes, ad cōmunem salutem est am-
plexa: quas illa affinitatibus, & cognitionibus deuin-
ciens, non patitur dissidio interire. Eius rei testis est
Germania, quam tot bellis ciuilibus afflictam, & per-
ditam, recreat atq; reficit, diuina Caroli Cæsaris vir-
tus. Testis est Hungaria, quam tot annos Ferdinandus
rex contra furorem tutatur Turcum. Testis est
Boœmia, quæ ciiali motu sedibus suis conuulsa, huius
istius regis sapientia est constituta. Denique testis est
Polonia, quæ Austriaco foeta sanguine, clarissimos
Principes, atque Reges, Germanis, Hungaris, Boœmis,

atque

Sigismundi Augusti Regis Polonæ.

arque Polonis progenuit. Quæ est enim Germana gens nota & illustris, quæ sanguinis sit expers Poloni? & quæ ad Helizabetam Alberti regis, Austriæ Ducis filiam, Casimiri vxorem, suum genus non referat? Ex hoc enim sacrato ac regali fonte, profluxerunt ad hominū salutem, Bauari, Rhenenses, Misnenses, Bran deburgenses, & Pomeraniæ Duces. Ex hoc eodem ad suum caput reuerso quasi riuo, nati sunt Maximilianus, Ferdinandus, & Carolus, Austriaci Principes. Hi enim Anna Vladislai Poloni filia editi, Ferdinandi regis filii, Casimiri autem clarissimi habentur nepotes. Tanta rerum, & cognitionum inter Austriam, & Poloniā est vicissitudo, vt vltro citroque inter se se vnum atq; idem commeet genus: vt modo ex Austria in Poloniā profluat, modo ex Polonia in Austria, tanquam ad initium ortus sui, recurrat: vt mihi videatur Deus, tanta necessitudine Austria cum Polonia propterea iunxisse, vt una absque altera neque stare, neque salua esse posset. Qui enim quælo Austria staret, nisi Ferdinando regi Annam vxorem genuisset Polonia? Nostra verò quæ sors, aut quæ ratio futura fuissest, nisi nobis Austria alteram etiam Ferdinandi misisset filiam? Ipsa profectò orbitate debilitati, non solum extincti, sed etiam oppressi fuissemus. Cum enim Elizabeta regina prior, morte spes nostras fefelleret: idem Ferdinandus non magis Elizabetæ quam

Panegyricus Nuptiarum

Poloniæ pater , altera filia Catharina orbitatem nostram est consolatus : quæ collapsas in sorore spes nostras instauraret , suoq; iusto cum rege nostro connubio desperare nos vetaret : ac pacem, otium , & tranquillitatem in Polonia constitueret.

Quod Ferdinandi regis beneficium in Polonos tantum est : vt non modo ego, qui nullus sum: sed ne illi quidem veteres Cicerones , atque Crassi , possent verbis, quantum illud sit, exprimere. Etenim cum illa clarissima & imperiosa Iagellana familia, ad vnum Sigismundum Augustum sit redacta: quantus tandem metus ille fuit , in vnius hominis mortalis , & caduci anima, tantum genus periclitari? quo genere,in quam, extincta olim in Ludouico rege Hungariæ & Poloniæ, regia stirpe : de integro Polonia est condita,cum maiores nostri Vladislao Iagelloni Lithuano regi regnum tradiderant : ac illud maximis hostibus, periculosissimisque bellis , virtute , consilio , atque labore eiusdem hominis, conseruarant. Qui decedens reliquerat imaginem, non solum corporis, sed etiam animi sui , Vladislauum filium : qui annos natus duos & viginti,duorum regnorum R ex fuit: Hungariamque, & Polonię furori Turcico ad Varnam cum oppo- suisset : cæsus ab Amurate in prælio cum exercitu est.

Quid Casimirus huius istius Vladislai frater? cui labori pepercit ? quos sumptus non fecit? quæ peri-

cula

Sigismundi Augusti Regis Poloniae.

cula non adiit? dum Daciam (Valachiam nunc vo-
cant) contra Baysetum Turcam defendit? Iam huius
Casimiri illustres filii, magni autem reges nostri, Vla-
dislaus in Hungaria: Ioannes Albertus, & Alexander,
& Sigismundus in Polonia: in quo tandem discrimi-
ne non sunt versati, dum contra Turcas, Moschos,
Scythes, atque Dacos nomen tuentur Romanum?
Sed nimis longinqua sunt fortasse quæ commemoro.
Adest Sigismundus Augustus REX, Jagellonis incly-
ta soboles: qui postrema pueritia rex factus, maiorum
suorum decori nulla in re defuit: qui nuper Daciam,
non dolo, neque bello, sed iustitiæ, atque clementiæ
fama deuicit: illamque bellicosam, ac verè Romanā
gentem, quæ Turcas sèpè fuderat: Matthiam Hun-
garum deuicerat: Ioannem autem Albertum Po-
lonum profligarat: ditionis suæ nuper fecit, mira beni-
gnitate fortunæ. Tantum nomen Jagellonum est,
tanta laus, tanta virtutis præstantia, ut quoquo te con-
uerteris, siue ad exortum solis, siue ad occasum, siue
ad meridiem, siue ad septentriones, plurima virtutis
monumenta huius inclytæ gentis reperias: & tamen
tam potens, tamque salutaris orbi terrarum familia;
in uno Sigismundo Augusto his annis periclitabatur:
cùm nulla propagata sobole sustentaretur, prohibere-
turque à ruina. Quam rem miseratus Deus misit ex
Austria iterum, non tam vxorem, quam alteram spem



Panegyricus Nuptiarum

Poloniæ regno : quæ nobis Jagellonum gloriosam
conseruaret domum , illamque prole aleret fœcunda,
ac perpetuaret nunquam interitura sobole.

Quia in re vir excellens Nicolaus Radiuilus Olicæ
Dux, Lithuanici Princeps Senatus , strenuam nobis,
& fidelem nauauit operam. quo internuncio Catha-
rina Regi desponsa est , ac Regina Viennæ nobis est
designata. Magna profecto hæc est Nicolai Radiuili
laus, summi, & clarissimi viri : qui pronubus fuerit in
connubio conciliando tali, quo vniuersa exhilarata
est SARMATIA : tantaq; lætitia affecta , vt non modo
homines , atque vrbes , sed syluæ ipsæ mediusfidius,
agri, atque fines regni , lætificati esse videantur huius
Reginæ in Poloniam aduentu : vt post Poloniam cō-
ditam , nulla regina majoribus votis, neque meliori-
bus ominibus, in SARMATIAM venerit. Quod vt fœ-
lix, faustumq; sit nobis, SARMATIAE, patriæque no-
stræ, ac omnibus Christianis gentibus, atque nationi-
bus, id omnes velle, & optare debemus. Qualem Re-
ginam, & quo genere prognatam, & quam obcausam
in Poloniam missam habeamus, audistis. Nunc quo
studio, quo ornatu, quanto denique rerum omnium
apparatu excepta à Rege Regnoq; sit, benignè, atten-
tèque audiatis.

FERDINANDVS REX cùm statuisset, pro veteri
instituto Austriacæ domus, Poloniæ regno periclitan-
ti opem

Sigismundt Augusti Regis Polonie.

ti opem ferre: nihil prius habebat, quam ut eā filiam,
quam mortuo Mantuæ Duce viduam apud se habuerat, SIGISMUNDO AUGUSTO regi, Nicolao Radiuilo internuncio, collocaret. Sed cūm & Nicolaus Radiulus Lithuanicæ ditionis Palatinus esset, & Ferdinandus regii honoris præcipuam curam duceret: optabat aliquem è regno ab Augusto ad se mitti, cum quo pro ratione regni filiam suam desponderet Regi. Ad hanc rem deligitur Sacerdos fide excellens Ioannes Prerebius Procancellarius Regni: ac Viennam ad Ferdinandummittitur: qui sacramento rogatam Catharinam, Regis nomine, cum Nicolao Radiuilo, iussu Ferdinandi patris, despōndit. Et cum Ioannes Prerebius Sacerdos cœlebs esset, firmare communione leti, pro more regum, sacramentum non potuit. Quare Nicolao Radiuilo data erat prouincia, ut ad speciem connubii regii, vñā iit lecto cubaret cum sponsa, præsentibus Ferdinando patre, & fratribus sponsæ. Quæ acta, & transacta cum Ferdinando Viennæ cūm essent: ad Kaleñ. Iulii ab Augusto Rege nuptiis dictus est dies: ad quem inuitantur multi è Germania Dukes, Carolus autem Cæsar in primis: Proceres etiam regni ad idem tempus conuocantur. Excitatur mirandum in modum Polonia hac nuptiarum fama: exardescitq; studio visendæ Reginæ, ac illius obuiis vlnis excipiendæ. Ad eam rem non auro, non argento, non serico

Panegyricus nuptiarum

serico parcitur. Veteres recluduntur gazæ , sanctius ærarium promitut in profusissimos sumptus. Feruent tabernæ mercatorum, supellex preciosa quæritur. Pudet quotidianarum vestium: purpura, atq; byssus exquiritur. Aureæ , inauratæq; uestes , frameæ , ac tiaræ comparantur. Totum genus mechanicum cura , & vigilia nocturna , atq; diurna occupatur. Perstre-punt officinæ artificum. Certat materia cum opere in equis , virisq;. Fabri medius fidius ipsi non tum plus ferri quam aurifices auri, per Poloniam omnibus exercebant incudibus. Ingeñs enim profusio siebat pecuniax, dum spredo, & neglecto sumptu, pro se quisq; ad id certat, vt Catharinam, tanquam Deam quandam cœlitus demissam, paratus, atq; instruetus, excipiat. Ad quam rem vir cum antiqua nobilitate tum prudentia insignis, Spitko Iordan de Zaklicino Regni thesaurarius, profitebatur Regi Regnoq; suam fidem atq; operari. Qui summas Regum opes esse dignitatem, & auforitatem cum duceret: omnes pecunias inferiores esse amplitudine regia putabat. Et cum magna rerum copia, publicam è regno exterminaret ille inopiam: ne suis quidem profusis parcebat sumptibus: quibus se, suumq; equitatū ita comparauerat: vt omnes quæstores Persicos atq; Turcicos, apparatu superaret.

Cæterum tanto studio præoccupatis omnium animis, Sigismundum Augustum febricula interpellat: ac præsti-

Sigismundi Augusti Regis Poloniae.

ac præstitutam diem nuptiis illum obire vetat. Itaq;
coactus, profert tempus in A. D. Kaleñ. Augusti :
& ad hanc eandem, Catharinam differt. Instante die
Catharina à patre dimissa, cum Ferdinando fratre Vi-
enna iter ingreditur : Maximilianus etiam frater illius
maior, se consequuturum pollicetur. Et cum Olomū-
cium aduentaret; Rex illi Cracouia obuiam misit, tres
lectos Senatores suos: Andream Noskouium Plocen-
sem Episcopum, reuerendum ætate uirum : tum Fœ-
licem Srenski Plocensem Palatinum, fide & nobilita-
te clarum: deniq; Ioannem Ocescium Cancellarium,
consilio & lingua promptum. Hi tres tum simul illu-
stri cum equitatu, Olomuncij Catharinæ occurrerūt :
illiq; aduentum in Poloniā fœlicem, ac faustum pre-
cati ; omnia ad illam detulerunt officia viri Regis. Dū
hæc Oloimuncij aguntur, Rex duas clarissimas, & pri-
marias in regno fœminas, obuiam vxori misit: vnam
Sophiam Christophori Sidlouicij Cracouieñ. Ca-
stellani viduam: alteram verò Barbaram Petri Kmi-
thæ Cracouieñ. Palatini coniugem, splendido cum e-
quitatu : Petro Boratinio equitum illorum magistro.
Interea Rex falsò edoctus, Maximilianum fratrem
vxoris aduentare: Ioannem Drohoiouium Cuiauien-
sem Episcopum Oswiecimum cum turma equitum
miserat, qui illum in illo confinio exciperet. Verū
vanum illud Episcopi iter fuit. Maximilianus enim

B

priusquam

Panegyricus nuptiarum

priusquam Olomuncium attingeret, morbo impeditus , ex itinere Viennam redierat : non sine grandi molestia Augusti regis: qui tanti Regis præsentia magnoperè iuuari suas nuptias, ornariq; putabat. Nihilominus pompam adornat forma & specie visenda: proq; hoc illius studio , ex omni Polonia ac Lithuania , Cracouiam concursus fiunt. Completur vrbs. Ad sunt etiam Tesinensis, Bregensis, ac Oleśnicensis, è Silesia Duces. Inter hos Albertus Brandenburgensis Marchio, Princeps Prussiæ , vt Mars alter, splendore, & ingenio militari vehementer excelluit.

Tum ab Iulio Tertio, M. Antonius Maphœus : & à Carolo Cæsare Legati missi veniunt. Prætereo alias legationes illustres, quibus hæ nuptiæ sunt celebratae. Ingens decus aduentanti conciliatur reginæ, pōpaq; institutivtanta celebritate digna. Et quoniam alij liis rebus visuntur: Polonis equitatu, quo plurimum possunt, congressus celebrare publicos mos est. Itaq; triduo ante aduentum reginæ, Rex omnem suum equitatum vitra Cleparianum recensuit : ac secretos à satellitibus aulicos, in hunc modum disposuit; vt singulos aulicos ornatū Hungarico, singuli sequerentur in equis hastati pueri , omnes cristati, variisq; & projectis in altum, gruū ac struthionum, redimiti pennis. Ordinem aulicorum ducebant , Lucas & Andreas Gorcani Comites, magna regni spes. Tum Stanislaus

Lwowski :

Sigismundi Augusti Regis Poloniae.

Lwowski, & Caspar Zebrzidowski, & Anselmus Gostomski. Hos sequebatur ordo, quem claudebant Martinus Herborthus, & Petrus ac Stanislaus Barsones cum Garnis, aulici illustres. Porro aulicorum satellites Rex contulerat vnum in agmen, splendidum armis, equis, virisq;. Talis census aulæ eo die fuit. Postridie bene manë Regina cum Ferdinando fratre Balicium venit: villa hæc vrbi vicina, Bonaroru est: quam ipsum L. Lucullu ædificasse dices: ibi lauit, ac pernoctauit. Quo loci Rex illi miserat auream rhedam cum equis octo rhedariis, auro multo præditis. Mane ipso illius aduentus die, quæ fuit sabbatum à feriis diui Iacobi primum: excitantur classico milites, ruunt in campos equites, ac pedites sese portis effundunt, omni ornatu, apparatuq; bellico parati, atq; instructi: quorum fulgentia arma, splendorq;, seuerissimi etiam viri oculos facile perstrinxisset.

Episcopi ante omnes, suas producunt in aciem turmas: quorum princeps Nicolaus Dziergouius Gnesneñ. Archiepiscopus, & regni Primas, trecentos lectos in armis ostendit equites. Hunc consequitur Andreas Zebridouins Cracouieñ. Episcopus: paulò impari numero, sed splendore planè pari. Deinde Ioannis Drohoiouij Cuiauieñ. Episcopi succedunt cohortes, in quibus à viro virum lectum fuisse dices. Tum Andreas Zarnkouius Posnanieñ. Epis-

Panegyricus nuptiarum

copus, cùm nobilitate sua, tum robore militum conspicuus. Hoc loco ponendus erat Andreas Noscouius Plocensis Episcopus: sed is in comitatu Reginæ aberat, cum Fœlice Srenski Plocensi Palatino, & Ioanne Ocescio Cancellario, ac cùm Petri Kmithæ insufficiens non tam ad pompam, quàm ad pugnam equitibus. Iam Iacobus Vchanſcius, magnum Episcoporum in Polonia supplementum, & ipse addiderat Episcopali agmini manipulū satellitum illustrem. Deniq; Stanislaus Hosius, Varmiensis Episcopus, vir bonus, & doctus, condecorauerat ipsum hunc Episcoporum cœtum. Ex minoribus quoq; sacerdotibus, Ioannes Prerebius Procancellarius, & Georgius Podlodouius Secretarius Regius, huic Episcopali agmini decora quasi addiderant corollaria.

Sacerdotes Senatorius sequebatur ordo, in quo principes Ioannes Tarnouius Castellanus, & Petrus Kmitha Palatinus, Cracouenses, duo magni atq; spectati viri fuerunt. Deinde Nicolaus Odnowius Sandomiriensis: Martinus Zborouius Calisiensis: tum tres Coscielecij, Siradiensis, Lanciciensis, & Wladislauiensis: deniq; Ioannes Meletius Podoliæ, Palatini. Hos seqvuntur Castellani qui has condecorabant, ornabantq; nuptias: vt Petrus Zarnkouius, Posnaniensis: Petrus Zborouius, Sandomirien. Georgius Conarski, Calisiensis: Stanislaus Matieouius, Voiniciensis & aulæ

Sigismundi Augusti Regis Poloniae.

aulæ Sceptringer regiæ: Spirek item Iordan Sandecensis, supremus regni Quæstor, de quo superius est dictū: deniq; Valentinus Dēbinius, Biecensis: Nicolaus Misco uius, Radomiensis: Ioannes Boner, Chelmen-sis: Florianus Zebridouius, Oswiecimensis: Nicolaus Lutomirius, Cechouieñ: Nicolaus Radieiouius, Go-stinensis: Et Ioannes Tomicius, Rogosnensis: deniq; duo de Kretkow fratres: compluresq; alii senatorii ordinis viri, quos enumerare longū est, & non necessari-um: aderāt tamen frequentes: qui cum præsentia sua, tum copia, ornabant hanc, augebantq; pompam re-giam. Post hos sequuntur Lucas, & Andreas Gorca-ni fratres, visendo apparatu, vt omnium consensu fa-cilè tulerint his illi nuptiis parteis priores. Nihil o-mnino nugarum in illorū equitatu fuit. Tanta enim cura suas apparauerant turmas: vt neq; virum alio e-quo: neq; equum, alio viro indigere diceres. Ordo & forma, regiæ turmæ persimilis fuit. Post singulos e-nim tres ornatisimos equites, tres hastati, & scutati sequebantur pueri, plurimo auro, veste, & excelsis a-litum pennis ornati. Hæc Gorcana turma tulerat lau-datae huius regiæ pompx decus. Sed hæc laus Gorca-næ familiæ, patria & auita est. Viguit enim semper in haec familia disciplina equestris, præcipuumq; Gorca-norum decus illud fuit, splendere, ac præstare appa-ratu equestri.

Panegyricus nuptiarum

Gorcanis proximi fuere quatuor de Dzialino
Prutheni fratres , qui alteram Italico , alteram Hun-
garico cultu turmam ducebant , viris , & equis illu-
strem: post hos Prutenus Zema Germanico ritu adæ-
quabat aliorum laudem. Sed ego in hac tanta rerum
admirabilium luce cæcutione , cùm tot illustrium viro-
rum splendore captus , obuios imprudens alios præ-
terearam , alios vero absq; discrimine ponam. Stanisla-
um enim Ostrorogum in hac illustrium virorum tur-
ba penè præterieram : quem ob vetustatem familie ,
& ob illius apparatus splendorem, in principibus iure
ponere debebam. Aderat enim , turmamq; ornatissi-
mam ducebat , viris & equis insignem : magnumq;
huic pompæ addiderat ille decus. Iam Gabriel Tarlo
cùm cæteris rebus , tum duobus nepotibus , Ioanne ,
& Nicolao Præmisliensi Vexillifero, spectatus vir ad-
modum fuit. Hieronymus etiam Businius Cracovi-
ensis , & Stanislaus Orlicus Russiæ, Salinatores, ornati
viri , hoc in numero fuerunt. Sed quid ago ? aut quo
me fero? Non homines, sed stellas dinumerare videar,
si ordine persequar qui viri , qui heroes ad illam cele-
britatem nuptiarum ex Polonia conuenerant. Aderat
enim illustrium familiarum viri , Tarnouii , Zarnkouii ,
Ligessones , Ossolinii , Herborthones , Stadnicii , Las-
socii , Olesnicii : deniq; viri fortes , ac strenui Chri-
stophorus , & Prezlaus Gnoiensci : cæteriq; quos ge-
neratim

Sigismundi Augusti Regis Poloniae.

neratim ponere cum res ipsa, tum ratio instituti operis me cogit: ne non Panegyricum nuptiarum dicere, sed catalogum hominum canere videar: quod cum re ipsa absurdum, tum ab hoc meo instituto alienum est. Præsertim cum Lithuani quoq; prætereundi non sint: de quibus paucos ponam de multis, ut Virsilū Castellatum Vilneñ, ut Kifgalum, ut Chodkeuicum Succamerarium: nam de Nicolao Radiulo dicam alio loco. Hi tres Lithuaniae Proceres plurimum huic addiderant pompæ. Ipsi quoque è Silesia, Pomerania & Prussia duces, decenter prodierant instructi.

Copias omnibus promiscue in aciem ad Eobzoum ultra Cleparianum productis: rex suas quoque copias educit: negotiumque Floriano Zebridouiq; Owięcimensi Castellano dat, agmina per legiones, atque turmas digerendi: quæ ille iussus scienter administravit. Primo enim loco posuit aulicos à fatellitibus secretos: eo modo, & eo ordine, quo erant audiustertius, ut iam est dictum, à Rege ipso dispositi. Post hos, regios pueros insignes equis, & albo Hispanico cultu: tum equestris fatellites regios, dextraducentes optimos, & exornatissimos Turcicos, & Hispanicos equos, auro, gemmis, arque monilibus ornatos. Post hos cubicularii sequebantur regii Hungarica specie: hi auro, argento, vestèque prætexta fulgidi, regium cladebant agmen: quo nihil neque

Panegyricus nuptiarum

dici, neque fingi speciosius potest. Alteram legionē Zebridouius confecerat, ex delectis Senatorum satellitibus: cuius aciem exornabat Gorcana turma insignis, & illustris: quam verè legionem Martiam appellares. Tertia legio aulicorum satellitum. Quarta Episcoporum. Quinta Germanorum. Sexta verò promiscuę licet, minimè tamen vulgaris turbæ fuit. Porrò peditatus varius, fuit per classes diuisus. Primo loco fuerunt Cracouienes nobiliores ciues: secundo Italici homines: tertio mercatores: tum Casimiriae pedites: denique Clepariana, & Stradomiæ plebes. Numerosus hic peditatus admodum fuit, glandibus atque tormentis instructus.

Exercitu omni hunc in modum disposito, Rex proficiscitur ex arce, in Principum & Senatorum nobili comitatu, cum Bona matre, ac Regina Hungariae & illius filio, & cum sororibus tribus: ad Lobzouiumque ad exercitum venit. Quo in loco duo illi tabernacula fuerunt posita: inter quæ via panno rubro strata erat. Interea Catharina Balicio profecta, medium se curru Legionibus infert, magno præeunte cōitatu. Dextra adæquitabat illi Ferdinandus frater: sinistra vero Nicolaus Radiulus, tanti inceptor & cōfector connubii: quæ etiam causa fuit, cur ille in Senatorio non interfuerit equitatu.

Reginā princeps excipit aulicorum insignis legio.

Tum al-

Sigismundi Augusti Regis Polonie.

Tum altera ordine. Deinde cæteræ. Ingens exoritur
clamor vndique salutantium: ac aduentum illi con-
gratulantium. Sed hæc pompa admodum lenta fuit,
propter confertissimas legiones, ac pulueris & solis
vim. Nimium enim Iunone secunda, ac sudo cælo
hæc agebantur omnia. Tandem est ad tabernacula,
regisque statuа peruentum. statur, ac rheda sistitur.
Cumque Catharina descendisset: rex illi obuiam è ta-
bernaculo, cum omni suo comitatu prodit: vxorem,
ac illius fratrem Ferdinandum salutat, ac dextram
iungit. Idem faciunt cæteri. Interea Ioannes Prerebi-
us Procancellarius, luculenta oratione, regis nomi-
ne, aduentum reginæ gratulatur. Capita autem gra-
tulationis petiuit ab laudibus Austriacæ domus: qui-
bus pertexuerat Jagellani nominis quoque decus: ab-
soluerat verò illam communi totius regni gaudio.
Magnum hic vir, eo tempore, ingenii sui documen-
tum dedit. Nam & Viennæ, pro amplitudine regia,
grauiiter omnia negotia, Radiuilo socio, cum Ferdi-
nando de nuptiis transegerat: & hoc ipso tempore ita
perorauerat, vt veteres illos regni Poloniæ Cancella-
rios, Tomicios, Choiennios, atque Matieiouios,
laudatos viros, nobis referret. Salutata hunc in mo-
dum regina: illæ currus, Rex autem cum Ferdinando
equos, condescendunt. Rex cultu Hungarico, Ferdinan-
dus Hispanico, currum præcedunt. Regi à sinistra Io-

Panegyricus nuptiarum

annes Sigismundus sororis filius , eques incedit. Post regem armiger regius scuto regio insignis sequitur. Igitur itum in urbem continentis agmine est : cuius initium in Clepariano , finis verò in arce fuit. Currus interim inter medias phalanges procedunt. Delecti pedites circum currus ibant : cæteri autem editum arcis montem conscenderant : ac inde glandibus , & tormentis quatiebant aëra , urbemque. Omnes domus , atque urbis vias , homines visendi studio insederant. Nemo in tanto hominum numero est repertus , qui huic decori simile se usquam vidisse aliquando diceret. Ferunt , Buda capta Solymanum Turcam , ex omni exercitu splendidissimos viros delegisse , quibus cum Budam intrauerat : sed tamen iidem illi qui id viderunt , nullo modo illum splendorem Turcicum , cum hoc Polonico conferendum putant. Sed hoc illi viderint.

Regina curru in urbem inuecta , comitante Bona matre , & sororibus regiis , per medias acies arcem ascendit : ac in æde Stanislai , sacris de more exosculatis ; ab Andreâ Zebridouio Episcopo Cracouieñ. in corona sacerdotum , accurata oratione salutatur. Qui ante omnia Deo Optimo Maximo egit gratias , quod summorum regum coniunctionem , connubio tali potissimum deuinxerit : deinde quam illius aduentu exhilarata sit Polonia docet: tum illi aduentu gratula-

Sigismundi Augusti Regis Poloniae.

gratulatur ornatissimis verbis ; breuiter commemo-
rans, quam spem Ecclesiae Dei, quam salutem reipub-
licae illius pollicerentur nuptiæ : denique ad tuendam pi-
etatem reginam est cohortatus ; hanc enim solam
decus, & ornamentum reginarum esse , grauissimis
probabat sententiis : ad extreum se , sacerdotesque
cum suos, tum regni , in clientelam illi , atque in cu-
ram dat. Digna hæc fuisse oratio dicitur, cùm Andrea
Zebridouio erudito viro, tum vero tantorum Regum,
& Principum conuentu. Sacerdotes deinde, modu-
latis carminibus, aduentum illius in æde concelebra-
bant. Et cum ad uesperasceret, inde digressi, per tha-
lamos diuisi, via, & pompa requierunt defessi. Postri-
die mane à Nicolao Dzergouio Archiepiscopo nu-
ptiale adornatur sacrum : cuius munus in Polonia est,
Reges, & Reginas coronare. Ædes ipsa Stanislai multa
veste stracula, inaurataq; consternitur. Editus etiam
locus coronationi, æde in media apparatur , summa
cura, atq; diligentia, I. Lutomirij Bresinenensis Castel-
lani : cuius erat munus ornandi, sternendiq; templa,
atque atria preciosissima veste. Sub sacrificij tempus,
prodeunt è thalamis, coronatus Rex, & Catharina
vidua exteriore veste nigra, interiore vero aurea nupti-
ali vestita : quam deducebat Ferdinandus illius frater.
Hanc consequitur Bona mater cum filiabus, & nobi-
lium matronarum turba. His præeunt Principes, &

Panegyricus nuptiarum

Senatores regni cum regiis insignibus : Ioannes Tar-
nouius coronam ferebat , Petrus Kmitha sceptrum ,
Nicolaus Odnouius malum aureum , Sigismundus
Volscius gladium , alii item alia. In ædem cum est
peruentum , recta pergebant ambo ad Archiepisco-
pum ante aram , indutum sacra religiosaque veste.
Cui Rex obtulit Pontificium diploma Iulii Pōtificis :
secundum quod potestatem sibi petebat dari matri-
monii ineundi , & cum sororis suæ patruelis filia , &
cum prioris Elizabetæ vxoris suæ sorore. Quod etiam
est factum. Archiepiscopus enim cum se illi ad genua
submisissent , utrumque ab incestu absoluit : & idone-
os esse ad connubium , de sententia Pontificis pro-
nunciauit. Catharina mox ut absoluta fuit , viduitatis
suæ vestem ante aram deposita , ac in nuptiali ueste ,
fidem de integro marito Regi , authore Archiepisco-
po , despondit : ac uterque sacramentum Viennæ utrin-
que per legatos datum , ultrò citròque confirmat.
Accepta & redditæ connubij fide , Rex , & Regina ,
duobus tribunalibus in conspectu omnium confede-
runt : deinde inter sacrificandum ab Andrea Zebri-
douio Cracouiensi , & ab Ioanne Drohoiouio Cui-
uiensi Episcopis , illius coronationis administris , regi-
na ad aram admota , in Episcoporum cœtu inuncta pri-
mo : deinde ab Nicolao Dirgouio Gnesnensi Archie-
piscopo coronata est more maiorum : quod illi , no-
bisq;

Sigismundi Augusti Regis Poloniæ.

bisq; fœlix sit, atque faustum. Et cum illi sacramentū Christi Dei nostri Archiepiscopus communicasset: illud sacrum nuptiale fuit peractum: quod Ioanne Virbcouio chori R̄egii magistro, tanto vocum concentu à symphoniacis modulatum fuit, ut non Iosquin modo Belgici, neque Adriani cantores Gallici; sed Musæ ipsæ nouem suo cum Apolline, ad cantum illorum siluissent, oblitæ cytharæ plectrique. Fecerat autem modos Venceslaus Samotulinus regius Musicus: cui ad summam artis præstantiam, nihil præter vocem desuit. A sacrificio, templo omnes descendunt, ac prandium petunt. Discubbitur: medium se collocat rex: dextra Ferdinandus, hunc pone Papæ & Cæsaris legati: tum Prussiæ dux, deinde ordine reliqui sequuntur Duces. Sinistra vero Catharina recubuit. Infra Bona mater, ac regina Hungariæ cum filio: tum sorores regis: deinde matronæ, pro loco, & honore quæque sui viri accumbunt. Regii vero honoris insignia, Lucæ & Andreæ Gorcanis traduntur: quorum Lucas sceptrum, Andreas vero aureum malum reginæ, inter epulandum gestabant: qui homines, Gorcanis à Rege ipso habitus, amplissimæ laudi illis tum fuit. Hunc in modum procurate Petro Kmittha, Palatino & regni Sceptrigero summo, discubebatur in accubitu: cui ob administrandi negotium, ultra Stanislaum Macieiouium Voiniciensem Castella-

Panegyricus nuptiarum

num & aulæ Sceptrigerum, adiuncti erant à rege
quatuor periti rerum aulicarū viri: Valentinus Dem-
bienski Bięcensis, Nicolaus Miskouius Radomien-
sis, Florianus Zebridouius Oświecimensis, & Nico-
laus Radieiouius Gostinensis, Castellani. Hi præditi
sceptris, prouidebant cuncta in regia, his nuptiarum
diebus. Igitur epulatur magnificentissimo triclinio,
auro & argento, multaque veste stragula constrato.
Dies hic hilaris sumptus à rege & conuiuis est.

Sed quod Catharina ad aram communicauerat:
nullus in aula ludus, neque chorus, ob religionem, eo
die fuit. Postridie manè Philosophorū Collegium Re-
ginam adit, ac illam frequenti atrio, docta admodum,
& accurata oratione salutat: quam pro Collegio ha-
buit vir bonus, & spectatus Theologus Benedictus
Cosminius.

Pro regina respondit Ioannes Langus Silesius:
collaudatāq; Collegii fide, magnis laudibus gymna-
sum Cracouiense ornauit: illudque seminarium omni-
um virtutum in Polonia appellauit. Itur deinde in tri-
clinium, ac prandetur eo modo & ordine, quo pri-
die präsum fuit. Et vt in pauca hunc diem conferam:
post cænas & post certamina & ludos; sternitur ge-
nialis lectus in interiore thalamo, rara, & non aliâs,
vti ferebatur, visa apud reges cortinarum magnificen-
tia. In quibus vt ortus nostri authores, ita calamitatis

Sigismundi Augysti Regis Polonie.

parentes, Adam & Eua, ad effigiem veritatis stabant
textu depicti, ambo per omnes cortinas auro prætex-
tati. Et quoniam illæ primorum parentum effigies,
præter cæteras res visendas, admirabili fuerunt mate-
ria & opere: eas ad Cebetis instar demonstrabo: vt
inde cum opus ipsum præclari artificis, tum verò in-
genium optimi regis pernoscat: quod ex studio ip-
sarum rerum potissimum cernitur. In prima cortina,
ad caput genialis lecti, parentum nostrorum contex-
tu expressa fælicitatis cernebatur effigies: in qua fæ-
lices illi cum essent, non erubescabant nudi. Porro
vtiusque nuditas ita commouebat animos, vt viri
Euae, Adamo vero lasciuæ introingressæ arriderent
puellæ. Aperta enim pube, ille viri, hæc fœminæ se-
xum, sinu ostentabant pleno.

Secunda cortina arboris pomum, & serpentis re-
ferebat suasum, tanta arte, vt & serpentis fallacias,
& Euæ gulâ, & Adæ peccatum loqueretur ipsa cortina.

In tertia repræsentabatur exilium illud nostrum
miserum, & calamitosum. Hic fugam Adæ, & trepi-
dationem Euæ; tum Deum iudicem iratum perhor-
resceres: teque damnari vñâ, ac de te sententiâ ferri,
spectans dices: ita omnibus umbris ac partibus cor-
tina peccatum Adæ, & iram Dei in nos, exaggerabat.
In quarta, labor & dolor noster, ob oculos propo-
nebatur. Adam infelix, mortali induitus pelle,
patria

Panegyricus nuptiarum

patria pulsus, alienam colebat terram grauibus rastris: Eua vero proterua, humilem, horrida in pelle, seruabat casam, geminam circū sinum educans slobalem. Casæ cespite culmen congestū cernebatur: tum variæ circumquaque, supraque insuetæ volucres obstrepebant Eux, casaque volabant: peccatum exprobantes, ac illi insultantes exuli.

In quinta, gratum Deo Abelis sacrificium, Caini contra ingratum, proponitur: impii fratribus irarum causæ. Videres furentem Cain dentibus mordere manum præ Iracundia: quam illi à tergo, mulieris specie, docta artificis, textu depinxerat, manus.

In sexta, impius frater impetum facit, iustum in Abelum: quem ille sinistra arripit vertice, dextra vero illum mento mactat equino, promptum ad cædē, & ad mortem paratum. Hic mira imitatione, expres-
sos cerneret instantis tyranni vultus, inflatas ceruices, furiosos oculos, turbatam faciem, horrentes comas: ictus denique ipsos furiis agitatos, ac in fratrem cōtortos. In septima, coelo prospicientem in terras, ars incredibilis effinxerat, iratum Deum. lacebat in cōspectu Abelis cadauer, teturum crux, ac pallore fœdum, horribile visu: ex aduerso stabat adornans fugam sceleratus Cain: quem deprehensum cædis, con- sequitur iuxta Desperatio: deinde indignata Vltio muliebri habitu. Præclara effigies, quæ docet impi- orum

Sigismundi Augusti Regis Polonæ.

orum fratrum tristes semper fuisse exitus. In octaua, docetur, quām mali corui malum sit ouum. Scitē cēnī expresserat artifex, quām scelerata fuerit Caina soboles. Ibi videres virgines ad stuprum rapi ingenuas: violari matronas: diripi vrbes: priuatas eripi res: cædes edi: ac vi rem planē geri: vt hæc soboles illo dignissima fuerit patre. In nona cortina versabatur vindex ille malorū, & fautor bonorum, humana specie Deus, ambulans cum Nōé: & diluuium illi pollicens, quo sceleratos illos esset obruturus. His formis, atque figuris, motus modò & lingua defuit: cætera ad veritatis effigiem proximē accedebant. Hic ornatus thalami fuit, tanto rege dignus. Et quoniam fidelem nauamus nunc operam eis, qui aut abfuerūt, aut hæc propter reuerentiam regij thalami non vide-runt: addam de Noach patre reliquam historiam, eodem contextu descriptam. Quod vt faciam, educam vos ē thalamo paululum, dein mox huc reuertar: ac per intermedium vestibulum, legatione in Ægyptum Mosis, eiusdem cum Pharaone colloquio, tum Isra-ēlis transitu, data lege, ac bello Amalechico, per cortinas auro prætextas amplissimē exornatum: in atriu vos intro-ducam grande, quod ante vestibulum ipsius thalami est: & in primis iratum Deum Cainitis, vobis ostendam: Noach patri de arca præcepta dan-tem, ac modum arcæ præscribentem. Hæc admiran-

D

di ope-

Panegyricus Nuptiarum

di operis cortina pendebat ad caput atrij.

In secunda ita ædificabatur arca , vt modò non fabrorum & securium exaudirentur in opere sonitus.

In tertia,cogebat in arcam animalia Nòè : uictumque comportabat , ac se suosq; in arcam includebat.

In quarta, ruptas cœli cataractas,apertasq; abyssos, ac effusam cœlo hyemem videres, cum fulgurum fulminumq; vi, quibus impiam sternebat pauor sobole: quo in loco turpem fugam Cainitarum conscientiaz testem cerneret : alios arbores redundantibus aquis inscendere : alios editas rupes capere : alios vero altos montes petere. Plena tumultus hæc fuerat cortina : perterrefaciebatq; spectatoren: vt is quoque stupidus ad tam horrendam effigiem,metueret sibi à diluvio,arcamq; cogitaret. In quinta, compositi fluctus aquis diminutis cernebantur: tum victimæ cæsæ, & admoti altaribus ignes, ac directum ad cœlū sacrificium,placatusq; Deus,insignem in opere ostentabant artem : quam in cortina mirandum in modum condecorabant illa extinctorum hominum cadauera flaccida, & aquis putrida, & rancida. Nihil vnquam poterit à quoquam vero similius excogitari.

In sexta, benedicitur Noach, Irisque effulget cœlo, signum pacis & charitatis Dei in nos , triplici specie : vna aquea , diluuii horrendi memoriam nobis conseruans: altera pallida , crucem Ecclesiaz nunquā defutn-

Sigismundi & Augusti Regis Poloniae.

defuturam pollicens : tertia verò ignea , cuius non comparet finis , æterna impiorum supplicia nobis designat . Hæc fuit cortinarum admirabilis ars atque series , quæ docent quo animo , & qua mente Sigismundus Augustus sit prædictus : qui sibi tot , & tantis exemplis in thalamo , & in omni suo atrio iram vindicis Dei ob oculos proposuit : vt siue dormiat , siue vigilet , & noctu , & interdiu , illi regi Regum subiectum le esse cum vxore sua cogitet , apud quem peccato sua sunt semper parata supplicia . Sed nos reuertamur iam in thalamum : ceptosq ; regi nostro canamus hymenos .

Apud genialem lectum , magna principum & senatorum frequentia , tradebatur de more nupta Regi , ab Baltazaro Prunicio Vratislauieñ Episcopo , patris sui nomine : ornabaturque verbis amplissimis . Quod quidem illi Episcopo proclue factu fuit . Cui enim oratio deesse potuit in ea muliere ornanda , cui parentes orbis terrarum sunt Principes ? quæ in domo Imperiali nata , tanta cura est educata , vt ob id summi Regis digna inueniretur thalamo , vnde humano generi certissimi nascerentur reges : cui animi , & ingenij bona ea data sunt , vt ipsa etiam facie referat , non Venerem illam Martis concubitu infamem , sed Mineruam ipsam , virtute insignem . Hæc enim Paride ipso Iudice venustatem concedens Veneri , grauitatē Mineruæ iure optimo sibi sumeret .

Panegyricus Nuptiarum

Quare mirum non est, si illa oratio tantoperè placuit, quam ornabant vltro, tam claræ laudatæq; res. Respondit pro Rege Ioannes Ociescius Cancellarius regni: dubiumque fecit quem cui anteponeres: suauitate certè vocis Ociescius vicisse mihi visus fuit. Ita eo vesperi absolutus is actus fuit: cuius fructus ut suo tempore capiamus salubres, omnes id velle & optare debemus. Altero ab hoc die mane, itum ad ædem Stanislai magna pompa est: Ioannesque Drohoiouius Cuiauiæ Episcopus, indutus linteæ religiosaq; veste, nouam nuptam introduxit in templum solenni ritu: ac votis publicis illi, Regique, benè, & fœliciter matrimoniu euenire, est precatus. A sacris cum Bona matre ac sororibus Regiis in triclinium rediit: quo illi loci, præsente Rege & fratre, munera sunt amplissima data, à Cæsare primum: tum à Bona matre, & ab Hungariæ Regina ac Regulo: deinde à cæteris. Papæ Legatus munus Pontificis Viennæ obtulit. quæ res illi inuidiæ fuit: ad hunc enim locum seruari munus illud debuit. Sed facilè excusatur sacerdos nuptiarum insolens: quarum solemne cùm ille ignoraret, non loci, sed personæ rationem duxit. Pro Regina respondit idem ille Ioannes Langus Silesius, reginæ Secretarius, vir doctus, & facundus, ac mira facilitate gratus, ita ut omnibus ab illo satis fieret. Gratiis actis, pransum est: deinde chori, & ludicrū equitū certamē: agebanturq; mili-

Sigismundi Augusti Regis Poloniae.

militares turmæ. Idē fit consequentibus diebus, adeò secundo loue, ut nunquā spectacula impedirētur pluia. Diuisum sanè rex tum habebat cum loue imperium. Cùm enim tota nocte sēmel plueret: redibant tamen spectacula mane. In quibus Iacobus Cosmouius militaris vir, laudem tulit ex Germani robustissimi congressu. Porrò Iacobus Cosmouius is est, qui ad Pestum in Hungaria à Turcīs captus, consilio, & gladio sibi explicuerat fugam: quem nunc senem, ut fortē decet virum, benignè fouet Gorcana domus. Porrò in arce institutum erat Iudicium certamen: in quod prodierant instructissimi ad pugnam aulici, omni decore, atque splendore visendi: qui aduersis hastis adeò infesto concurrebant certamine, ut non species pugnæ, sed vera ab illis ederetur pugna. Leuiore enim armatura prædicti: cœci pugnæ studio, rubeant in aperta pericula: atque in mutua vulnera. Nam & equorum concursu elidebantur: & hastis afflicti cum equis resupini effundebantur. Et quoniam homines galeis atque scutis tectos, agnoscere ipse nō poteram: percontando, hos fuisse illorum nonnullos comperiebam. Qui cum se inter se comparassent, pariter ita sunt congressi. Nicolaus Matieiouius cum Stanislao Ostrorogo Lwouio. Albertus Zarnkouius, cum Stanislao Miskouio. Kilianus Lukouius, cum Stanislao Lipnicio. Ioannes Tarlo, cum Nicolao Li-

Panegyricus Nuptiarum

geza. Stanislaus Garnis cum Bartholomeo Sichorio.
Martinus Maskouius cum Stanislae Wlodkone. Ni-
colaus Vilga, cū Ioanne Iricomico Lithuano. Chri-
stophorus Olientius, cum Petro Fricacio. Stanislaus
Mezikus, cum Nicolao Potocio, Sigismundus Zebri-
douius, cum Nicolao Ociescio. Singuli primūm ha-
stis congregiebantur cum singulis : deinde vniuersi
agitabant turmas , remq; cominus frameis gerebant.
Hoc loco dabunt mihi fortis & illustres aulici veni-
am, si cæteros nominatim non pono , viros strenuos,
& omni laude militari dignos. Qui enim scire pote-
ram, aut omnium aulicorum nomina noscere, homo
ab aula alienus? Quare ipsam hanc nominum suorum
iacturam , compensent illi communis patriæ laude:
quam in hoc ludicro certamine præstanti sua exorna-
bant virtute: docebantq; spectatorē Regem, ac Regi-
nas, Ferdinandumq; Austrium , ac cæteros principes
atque duces , variarumq; gentium atque nationum
homines, quorum pro omnibus Arcis templis, atque
porticibus ingens erat copia , quanta in Polonis na-
turā inesset ad virtutem indoles, quanta vis; quanta
etiam præstantia. Hoc ergo me ab illis impetrare, ius
fasq; sit. Cæterū tantus erat in hoc certamine lectissi-
morum iuuenum pudor : vt cum péræque viri fortes,
pugnæq; scientes omnes essent , fortissimeque dimi-
cassent: omnes tamen ad Nicolaum Matieiouium de-

Sigismundi Augusti Regis Poloniae.

tulerunt huius certaminis decus; quem honorem ille
cum sociis communicans, socium se pugnæ haberi,
quam victorem dici maluit: qua moderatione inter
cōmilitones magnam laudem tulit. Igitur hac exacta
turma, alio post hunc die, Sigismundus Volsciūs, &
Stanislaus Kisgalūs, spectante rege, arce plenā, ambi-
guam (vti ferebatur) grauiorē armatura, in duello fe-
cere victoriā. Poloni enim Volsciū vīcissem aiebant,
quod is vñā cum equo euertisset Kisgalum: contra
Lithuani Kisgalum præponebant, quod is fortissima
impressione, & hastam pergrandem comminuisset, &
se ipse vñā cum equo in caput effudisset. Sed hanc li-
tem componat utriusque laus, quod tantum contem-
derunt, quantum potuerunt: maioraq; viribus ausi,
validiorem esse Marte fortunam ambo sunt experti.
Post varios in arce coram Rege, Reginis, ac conuiuis,
ludos atque choros, Rex decima nuptiarum die, ma-
gna pōpa, ex arce postmeridiē in vrbē eques descen-
dit: quē vxor cum sororibus Regis, eodem cum Hun-
gariæ Reginā vecta curru, consequitur: magno nobis-
um mulierum comitatu. Conscendunt spectatūri fo-
ro in medio ad hoc ipsum extructū templū: fre-
quenti theatro intra septa fori sit ludicrum hastatorū:
primò equitum Polonorum leuioris armaturæ, qui
interiecta maceria, ad Italorum morem exhibebant
certamen. Fuerunt autem in turma hi: Stanislaus

Misko-

Panegyricus nuptiarum

Miskouius, Stanislaus Ostrorogus Lwouius, Stanislaus Volscius, Ioannes Kostka, Nicolaus Meletius Palatini Podoliæ filius, deniq; Ioannes Lieschenius. Horum iuuenum concursus acer admodum fuit: tantaq; illorum fuit impressio, vt Stanislaus Ostrorogus Lwouius, per thoracem humero tenus transfixus, graue inde referret vulnus. Porro eius certaminis iudices, quos ἀγωνοθέτας Græci vocant, primas ad Stanislaum Miskouium detulerunt: monileq;, præmium pugnæ, illi attribuerunt: cæteris coronæ, & annuli dati. Iucundum spectatu horum fuit certamen: processissetque longius: nisi principum decus & ornamentum, Prussiæ Dux, tria paria in arenam produxisset robustissimorum de sua familia satellitum: qui maturius quam Poloni vellent, suum accerrimum introduxerunt certamen. Hi quantum equis, & viribus conniti poterant; tantum contendebant grandioribus hastis. Periculosem horū fuit certamen: saepe enim grauissimo conflictu elidebantur, & cum equis vnā afflitti exanimabantur: hostiamen, cùm militares scitè, foro in medio, præbuissent ludos; ingenti acclamatione theatri, Dux incolumes recepit. Magnum profectò decus hic vir, & plane vir, hisce nuptiis addiderat: quantaq; erga Regem nostrum obseruantia, quanta etiam in Poloniam (vnde maternum genus dicit) esset ille benevolentia; multis illius officiis hoc tempore planum

Sigismundi Augusti Regis Poloniae.

planum est factum. Ad vesperam redierunt in regiam,
& quieuerunt tandem obscurati spectaculis: quoru
facietatem ipsa assiduitas facit. His transactis omni
bus, Ferdinandus Reginæ frater, benignè habitus, à
Rege liberalissimè est dimissus: alij item principes
atque legati. Bona etiam mater cum filiabus, Varss
uiam inde rediit. Quibus omnibus lautia sunt publi
cè data, quamdiu Cracoviæ fuerunt: & munera am
plissima missa. Hoc loco magnam laudem Spitko
Iordan Thesaurarius iure sibi vendicat: qui in his
nuptiis nauum & industrium Quæstorem se Regi suo
præbuit. Ipse enim harum nuptiarum grauissimum
munus sustinuit: non tantum cura, & industria: sed
etiam labore, atque diligentia: illi enim non solum
illa summa fverunt apparanda: sed hæc etiam minu
ta prouidenda. Hic erogabat sumptus in omnes usus
regios: hic hospites non solum principes, sed medi
ocres etiam curabat, ac omni copia sustentabat: hic
denique munera exquirebat, ac pro conditione cu
iusque, de regis sententia attribuebat. Huic tantæ
tamq; incredibili, non iam largitioni, sed profusioni,
sumptus erant tantò ante à Spitkone prouisi: referta
vini fuerant cellararia, quæ exhauriebantur in hospitū
usus, non hydriis, sed dolis: patebant horrea atque
penu, non tam ad hospitum usum, quam ad illorum

E fasti-

Panegyricus nuptiarum

fastidium. Quid dicam de muneribus comparatis?
quorum copiam, Cræsus ille diues, fuisse admiratus.
Iacebant apud Spitzkonem acerui ponticarum muri-
um: stabant etiam aggeres auri atque argenti, mune-
ribus apparati. Quis monilia illarū opum? quis gem-
mas? quis purpuras? quis denique uarias, & exqui-
sitas res fando explicet? aut scriptis illos æquare possit
equos Polonicos, Hispanicos, atque Turcicos, qui
muneribus fuerunt à Rege Polono destinati? quibus
omnibus rebus, vel ipsius Tantali explesses sitim. In
quibus, & apparandis, & dispensandis, commemora-
bili fuit Spitzko labore, atque diligentia: perfectumq;
hac diligenti rerum omni administratione à Rege fu-
it, ut omnes hospites bene habiti, bene culti, ac bene-
donati, muneratiq;, sine querela Cracouia domū
redirent læti. Hæc à me bona fide vobis
sunt relata.

NVnc vestrum est, ô Poloni equites, his faue-
re nuptiis: & optimam spem in eis sitam ha-
bere. Quam enim aliam opem à Deo, in tan-
tis malis expectabimus, si hanc quæ offertur contem-
nemus? Habemus iam in vicinia Turcam: sumantem
Hungariam videmus: vicinus iam ardet paries. Nil
nobis citra Carpatum montem, & Hypanim, ac Ty-
ram flumen tutum est. Quo alio quælo prohibebi-
mus

Sigismundi Augusti Regis Polonæ.

mus ab interitu Poloniam, si hæ infirmæ nobis adhuc fuerint nuptiæ? Quantum vultis iactate fœdera Turcica: tamen, nisi cauetis, serò, ac ne quicquam cognoscetis, non fœdus, sed laqueum nobis fuisse hanc societatem Turcicam. In consensione ergo vestra cum Austriae domo, vobis omnis spes sit: ruere illa non potest, quin vos eodem labefactati motu corruiatis. Huius rei arctissimum vinculum nuptiæ hæ sint nobis; ut quoties Cæsar is, quoties Ferdinandi opem implorauerimus: toties, si cessauerint, Catharinam sponsorem apellemus: ac illam ad patrum, & patrem supplicem allegemus. Iam vero cùm non solum salus, sed maiestas etiam regni his nuptiis nitatur: eas piè in uiolateque conseruare debemus. Quàm enim potens, & floridum fuerit regnum Sigismundi Regis defuncti; meministis: & tamen nulla alia re magis Rex ille cum suo regno floruit, quàm Bonæ Sfortiæ nuptiis: quæ prima in Poloniam humanitatem hanc inuexit, qua non æquare modo, sed etiam superare multas gentes videmur. Quid? hæc copia, hi mores, hæ literæ, hæc denique tanta in omni doctrinarum genere præstantia vestra, vnde nata aut orta est, nisi ex cōnubio Bonæ cum Sigismundo Rege? Bona Regina hæc peperit omnia. Hæc nos ab illa feritate Sarmatica, ad hunc vitæ cultum rededit: perfecitq; ut humilitate Ital is, doctrina Græcis pares simus. Si ergo tan-

Panegyricus nuptiarum

ta, tamq; eximia munera Reginna Bona, in fera incul-
taq; Polonia, cum Sigismundo Rege poterat constitu-
ere: Catharina hæc parata iam, & culta, non cumula-
bit omnibus diuinis & humanis muneribus? Adsic
tantum fauor & obseruantia illa prisca, qua regum
suorum connubia, coluit genus nostrum. Spero nos
liberosq; nostros multa bona in hoc matrimonio esse
visuros: modo ita, vt facimus, cu Rege nostro, illiusq;
sacra coniuge, vna mente, & vno animo viuamus.

Prolixior fui quam promiseram: sed vos tempo-
ris iacturam, si quam audiendo fecistis: vsura eximiae
voluptatis, quæ ex nuptiis cœpistis, compensate.

F I N I S.



ALTER

D

ALTER PANEGYRICVS
NVPTIARVM IOANNIS
CHRISTOPHORI TARNOVII
COMITIS.

MAG^o ET CLARISS: VIRO D.
IOANNI OCIESKI REGNI
POLONIÆ CANCELLARIO ET CAPITA-
neo Cracouieñ Generali, tum Sandecensi, Olsti-
neñ, Oswiecimeñ, ac Zatorieñ Præfecto,
literarum ac literatorū patrono.

Stanislaus Oricheuius Roxolanus S. P. D.

Disertissime Lechij nepotum
Quot sunt, quotq; fuere, Jane Ociesci,
Quotq; pōst aliis erunt in annis.



Ibet enim versibus eisdem mibi affa-
ri te, quibus affatur ille Catullus poe-
ta veterus, Marcum Tullium Cicero-
nem, Romanum oratorem: cui tu in
Polonia cum præbueris os, dicendo
non dissimile, tam videntur te isti nunc decere ver-
sus, quam decuerant olim, illum summum oratorem
M. Tullium. Cum enim in Cancellariatus amplis-
simo

Panegyricus nuptiarum.

Simo munere magnis viris successisse: quod quidē incredibile fore aliquando in Polonia videbatur: nō adēquasti solum, sed etiam vicisti superiorum gloriam. Ac Petrum quidem Tomicium diuinum illum, singularem virum, prudentia iuris superasse videbatur Ioannes Choiennius; cui in Cancellariatu succedens apicem imposuisse ferebatur: huic vero muneri, eloquentiae laude Samuel Macieiouius: ita ut ad summum omnis Cancellariatus laus perducta esse iam ab illis viris videatur, nulla spe cuiquam imitandi in posterum relista. Verum enim verò mortuo Samuele Macieiouio tu Cancellarius, ab optimo sapientissimo S. Augusto Rege factus, nescio quomo-
do, quasi alter Hercules Gallicus, retraxisti nos vi ingenij, eloquij tui, ab admiratione superiorum: animos hominum ad te dicendi nouitate conuer-
tisti: effecistiq., ut aliquando in Polonia oratorem lingua patria audiremus, quem cum summis Græcorū atq. Latinorum oratoribus, iure ac merito conferre possemus. Quis enim te aliquando, vel pro Rege ad populum concionantem, vel in senatu de Repub. sententiam dicentem, unquam audiuit, quin doctior, bi-
lerior, atq. commotior ab te abiret? quamuis quo id in se

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouij.

in se se efficeretur non intelligeret. Quod tu tamen exquisito, O minime vulgari orationis genere, O ante te Polonicis auribus inaudito, apud nos assequeris. In quo et Philosophorum grauitas: ac iuris consultorum prudentia: et historicorum fides cluct maximè. Iam illa quæ sunt oratoris propriæ, quanta tandem in te sunt & nunc breuiter arguteq; dicere: nunc pberiore oratione laxare auditorum animos: nunc, ut res pestulat, in partem quam velis, hominū sensus inflectere. Itaq; istis virtutibus impulsi sunt qui dicant, tecum natura, atq; voluntate, tum motu ipso animi, Marco Tullio quam similimum in Polonia oratorem videri. Quorum ego iudicio permotus, quod habeam apud me nonnullas tuas conciones, ex quibus de illorum opinione coniectura iudico: adscribā ad illorum de te iudicium, meam quoq; sententiam: et ita plane statuo: te in Polonia cum oratorem esse qui perfectæ eloquentiæ nomen, solus apud nos possis sustinere. Et quoniam tale meum de te iudicium est: mitto ad te Panegyricum, quem de nuptijs Ioannis Christophori Tarnouij Comitis scripsi: ut tu cum omnia quæ voles, dicendo efficias; de hoc etiam conatu nostro, sententiam feras: satis ne videlicet idoneitati-

bis.

Panegyricus nuptiarum
bi videamur esse, qui in hoc ocio, et in hac vita rustica,
clarorum virorum laudes celebremus.

Ac scripsimus quidem nos diuino Sigismundo Regi orationem illam funebrem: quæ non facultate nostra, sed dignitate illius summi regis freta, totam fere Europam iam peragranuit. Panegyricum etiam optimi et clementissimi Sigismundi Augusti Regis, pingui licet, sed tamen non inuita, ut videtur, minerua, nuper cecinimus. Qui addidimus has quoq; celeberrimas Ioannis Christophori Tarnouij nuptias: quas tibi dedico vel ob id maxime, ut tu de toto hoc meo, cuiuscunq; modi est, studio iudices: cuiusquæ sit apud me ratio, quæsumus, paucis cognosce. Ego, Ioannes Ociesci, vitam hanc rusticam sum secutus, carum artium amore captus, quæ remotæ sunt ab aula, atq; fo-ro: quarum omnis ratio cum in excolenda virtute sit occupata: deberi hoc a me patriæ putabam, ut illius ingenium latinis literis, quantum possem in agris degens, illustrare. Alienum enim mihi maiestate Polonici nominis, ac generis esse videbatur: Poloniā humannissimam, et omnium virtutū exemplis refertissimam gentem, inter gentes barbaras a doctissimis hominibus existimari. Quare hac turpis fama impul-

Jus

Ioannis Christophori Tarnouij.

sus, et illas funebres orationes, et hos panegyricos
scripsi: ut hominū illustrium laudibus, turpem hanc
patriæ nostræ notam, apud omnes deprecarer: cui ad
summum ingenium, summamq; humanitatem, tum e-
tiam ad bellicam gloriam, nihil prorsus deesse vide-
retur. Atque in Regibus quidem nostris quantum
regium sit decus, ostensum ni fallor, in alijs scriptis
nostris est. Nec quanta in ipsius Regni familijs
priuatim sit dignitas, qui vita, qui gloriae, splendor
id ex una Tarnouia domo, ad exemplum proponere
mibi libuit: quæ cum omnibus excellat laudibus: vel
hęc sola exteris doctissimis hominibus documento sit:
Poloniā uniuersam nihil distare, ab alijs humanis-
simis aliarum gentium prouincijs, virtu, atq; cultu.
Iam verò ipsarum fæminarum virtus, quam ex alte-
ra parte virorum in Polonia virtuti respondeat: id
quoq; ex una muliere, Anna Masouiae duce, sanctissima
et integerrima fæmina, hac in Panegyri poni-
tur ob oculos: quam nuper Jaroslauiae, gentis Tarno-
uiæ oppido, cum supremo eius die pro concione lauda-
ret, vir bonus et doctus Benedictus Cosminus: gra-
tias Deo Opt: Max: egit, quod eam mulierem in Po-
lonia nasci potissimum voluerit, in qua omnibus

F

virginibus

Alter Panegyricus nuptiarum

virginibus, matronis ac viduis, ad imitandum propositum esset exemplar. De qua ego clarissima sanctissimaq; fœmina, quæ illa viua ab hinc biennium scripseram, ea nunc post illius fata edo: nemo erit spero, tam in uido animo, tamq; in humano, qui putet hoc Panegyrico me illi mulieri blādiri mortuæ. Nō præclare scriptum est illud à bono poeta:

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit:

Tunc suus ex merito quemq; tuetur honos.

Et quoniam cum illius mulieris laude vera, laus Tarnouiae domus coniungitur: hac quoq; in parte, vel te ipso teste suspicionem adulacionis non metuam, quem minime omnium testem esse impudentiæ meæ veilem. Nā ea quæ à me in laudibus Tarnouie gentis ponuntur, exploratoria sunt tibi, quám mihi: qui et in ea familia propemodum adoleuisti: et cum Tarnouis amplissimos magistratus in Polonia gesisti: nobis vero de excellenti Tarnouiorum genere tantum existimare licuit, quantum existimare licet priuato homini ea, quæ ex longo interuallo cernuntur. Nec vero domestico tantum tuo testimonio nititur haec Panegyris nostra: sed externalium etiam doctissimorum hominum scriptis, atq; monumentis, ut Pauli Louij

Nuce-

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouij.

Nucerini Episcopi; ut Bonfinij Itali, qui res Un-
garas à prima origine doctissime persecutus est: bi-
duo excellentes in historia scribenda, atq; principes
viri, non solum tempora nostra sed etiam scripta sua,
exemplis Tarnouiae gentis ornari à se volebant.

Quapropter quoniam hæc Panegyris nostra laudes
continet, partim hominum mortuorum, qui sine adu-
lationis suspicione laudantur: partim vero viuorum,
qui et domestico, et externo testimonio, exalta etate
cum virtute, ad metam vitæ iam peruererunt: quis est
tam auersus à vero, qui hæc quæ à nobis laudantur
reprehendere potius, quam exemplar ad eum vitæ
ex his velit sibi sumere? et ex particula parua omnis
familia, de omniuersa Polonia iudicare, quam diues
illa viris, quam laudis abundantans, et quam in omni
virtutis genere sit excellens?

Et quoniam hunc cursum vitæ sequimur, ut in
priuata vita illas putem esse opes maximas, nempe
scribere candidè et existimare de virtute meorum ci-
uium incorruptè: siccirco petam ab omnibus qui hæc
gent, ne quid datum esse auribus cuiusq; in hac Pa-
negyri à me arbitrentur: neq; me hæc scripsi se existi-
ment, quo milii ex cuiusq; amplitudine copia, aut

Panegyricus nuptiarum
præsidia, aut adiumenta vita e blandiar. Nam ego
Pauperiem, modico contentus, semper amavi,
Et rerum dominus, nil cupiendo, fui.

Itaq; hac Panegyri priuatorum hominum laudes,
non ad priuatam alicuius ambitionem, sed ad publi-
cam patriæ meæ gloriam refiero. Ea est enim demum
vera, et incorrupta priuatorum hominum laus, quæ
ad publicam maiestatem redundat. Accipies ergo
Ioannes Ociesci, munusculum hoc ab oratore Roxola-
no, minime leuidense illud certe quidem, si res ipsas,
personas, et exempla singularia, quæ in hac Pa-
negyri proponuntur, consideres. Nam de faculta-
te orationis tantum statues, quantum voles: illud au-
tem velle debebis, ut intelligas hæc scripsisse hominem
Sarmatam, qui primas literas latinas Premistæ in
Russia, non Romæ in Italia, Græcas autem Vitem-
bergæ in Germania, non Athenis in Græcia didice-
rit. Quod ubi cum animo tuo statueris, æquus plac-
tus q; hanc Panegyrim leges: ac lectam, non ad tuam
illam diuinâ dicendi copiam; sed ad meâ hanc Sar-
maticam inopiam referes: deniq; literas nostras Mu-
sasq; rusticas, dignas esse patrocinio tuo statutes. Sed
iam Panegyrim ipsam aliquando audiamus.

PANE-

P A N E G Y R I C V S
N V P T I A R V M I O A N N I S
C H R I S T O P H O R I T A R N O V I I
C O M I T I S,

à Stanislao Orichouio Roxolano scriptus.



O N V E R E O R P O L O N I , N E
molestiæ vobis plus , quām volupta-
tis afferant en alteri nostri Panegyrici;
proximi enim sunt honore prioribus
illis , quibus Augusti Regis Poloniæ
nuper vobis cecinimus nuptias : quibus in Sarmatia
nec magnificentius , nec celebrius , nec lætius quic-
quam euenire potuit. Quæcum fuerint dignæ Polo-
niæ Regno , dignæ regio honore , dignæ Augusti Re-
gis thalamo : his tamen Ioannis Christophori Tar-
nouij nuptiis ita partes post se reliquerunt secundas:
vt quantum illæ maiestate , tantum istæ honore , cæ-
teris nuptiis antecedat. Neq; enim Regij honoris ex-
pertes sunt hæ quoq; nuptiæ:neq; priuatorum homi-
num laudibus continentur : sed vetusto à sanguine
regum ducuntur: & , quod incredibile fortasse alicui
videatur imperito , multorum Regum, atq; Impera-
torum cognationibus decorantur. Quamobrem af-
fero ad vos alterum hunc Panegyricum, honore regi-

Panegyricus nuptiarum

um, dignitate conspicuum, auditu iueundum: quem
vos, vti veris laudibus mirabilem, fauentes audire æ-
quum est. Audietis enim veteruni Poloniæ Regum
nomen, & genus: tum summorum virorum laudes,
quorum virtute ad hanc diem stetit Polona res: deni-
que celeberrimas nuptias, & omni apparatu instru-
ctissimas, ornatissimasque cognoscetis: postremo ad
bene, beateque viuendum præcepta, atq; exempla
proposita discetis. Quæ vt exequar, vnde potius
principium dicendi sumam, quām ab ipso Ioanne
Tarnouio sponsi patre? cuius pro amplissimis in pa-
triam meritis, Ioanni Christophoro eius filio eam De-
us vxorē dedit, quæ Masouiæ Ducum orta gente,
per Annam matrem Conradi filiam, ad Piaustum an-
tiquissimum Polonorum Regem, suū genus referat.

Huic Piasto priuato, & vt proditum est, colono,
ab hinc annis plus mille, cum is apud Crusicium vi-
cum in Polonia agrum coleret, regnum à Polonis
fuerat vltro delatum: qui propter summam innocen-
tiæ & iusticiæ laudem, quasi alter Quincius Roma-
nus, ab aratro ad Rempub: accessitus: talem se regem
præbuit, vt non solum ipse gloriofissimè regnaret,
sed etiam suis posteris summum gratiæ, & benevo-
lentiæ locum apud Polonus moriens relinqueret.
Itaq; multis sæculis huius Piasti nepotes, usque ad Lus-
douicum Vngariæ & Poloniæ Regem, in Polonia cō-

tinen-

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouij.

tinenter regnarunt: quibus succedit clarissima Jagellana domus, quæ ex Lithuania à maioribus nostris accessita, in Polonia nunc potitur rerum.

Cæterum ex eodem Pia sto, quasi ex aliquo vberimo virtutis, & gloriæ fonte, profluxerunt ad hominum vitam, non solum Reges illi Poloni, quos dixi, sed ipsi etiam principes Silesij, atq; Masouiae duces: qui longa temporum serie, vñq; ad Annam hanc Cōradi Ducis filiam, principatum in Masouia tenuerunt: quæ cum Stanislao Odrowaſz Russiæ Palatino nupta, hanc Sophiam progenuit, quæ proximis Caleñ. Octobribus cū Ioanne Christophoro Tarnouio vinclis sociata est ingalibus.

Neque vero iisdem, quibus Silesia, aut Masouia, Piasti Regis sanguis, regionibus continetur: sed maioribus rerum iniciis destinatus, ac longius proutctus: summis Regibus, atque Imperatoribus inicium generis, ac nominis fuit. Nam Semouitus Masouiae Dux, huius atavus Anne, natam suam Cymburgam, Ernesto Austriæ Duci in matrimonium dedit, quæ Fridericuni Imperatorem genuit, ille Maximilianum Cæsarem, iste Philippum Regem, hic Ferdinandum, atq; Carolum Cæsares, qui nunc Christianas tuentur res, à quibus Germanis, Vngaris, Bohemis, atq; Anglis, videmus iam Reges natos esse. A Ferdinando certe Rege habet Polonia, clarissimum illud reginarum decus,

Panegyricus nuptiarum

decus, Catharinam : quæ Austriaco creta sanguine,
cum Augusto nupta Rege, suum in Masouia gente
agnoscit genus. Tanta Piasti Regis est apud omnes
maiestas: tanta Masouiae ab hoc ortæ gentis est ampli-
tudo: ut ab hac Deus Principes, Reges, Cæsares, ac
cæteros terrarum dominos nasci, ac propagari vellet.
Quæ gens, post tot præclaros in Masouia duces, ad
Annam solam redacta, auget desiderium nostrum:
cùm in hac clarissima fœmina illud ingenium, illa hu-
manitas, illa virtus Piasti Regis, quasi in quodam mo-
numento illustri posita, nobis eluceat.

Quæ enim huius optimæ fœminæ sit vitæ sancti-
tas, quæ pietas, qui rerum omnium modus; sæpe tam
secundis illius in rebus, quā aduersis experti sumus:
quę amissis parentibus, ac postea duobus fratribus,
virgo ita Masouiam administravit, vt summæ illius
pudiciciæ, par prudentia in administrando paterno
Regno, esse existimaretur.

Et cum verissimis laudibus virginalis pudiciciæ
omnibus esset cōmendatissima: à pluribus expetita:
Stanislao tamen Odrowąż Palatino, vt iam dixi, Si-
gismundi Regis iussu nupserat: quas illius nuptias qui
rerum motus exceperint, qui fluctus agitauerint,
quanta deniq; tempestas in illo naufragio extiterit:
quid attinet dicere, cum neminem vestrum ignora-
re arbitrer? quanta vero patientia, quanta etiam con-

stantia

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouſſ.

ſtantia omnia aduersa illa pertulerit : ſinete me hoc quæſo præterire , ne commoratione incommodoru , vſtrum renouem dolorem , qui à panegyrico alienus eſſe debet .

Sed cum magno , & excelſo animo omnia patere- tur , ac ferret , reſtabat illi vnicum in malis ſolacium , vir nempe ipſe , quem tamen iſum immatura illi eri- puerat mors . Quid ego in hoc acerbifimo caſu illius animi moderationem commemorem ? vt mortem vi- ri tulerit ? vt vidua cum filia paruula manſerit ? vt nus- quam viētu , neq; cultu extra modum prodierit ? ni- mis hæc prolixa ſunt , vberiorem etiam oratorem de- ſyderant , quām ego ſum : quare obmitto hæc dicere . Illud tamen dicam , & vere dicam ; neque in veritate crimen mendacij pertimescam : parem hanc viduam illis sanctiſſimis viduis veteribus Anna , Heduigi , He- lisabetæ , viſam eſſe . Hæc enim non diſcedebat de tem- plo , iejuiniis & obſecrationibus ſeruiens Deo , nocte & die : vt Anna illa prophetiſſa filia Phanuel . Hæc asperitate cultus , & duricia viētus , pertinacem caſti- gabat carnem : vt Heduigis illa Henrici Ducis Syleſi- orum vxor . Hæc opes ſuas in egenos effudit : vt He- lisabeta Pannonia , cuius uſq; ad desperatos , vt homi- num fert opinio , & religio , progreſſa cura eſt . Hæc ergo eadem cum fuisset huius iſilius mulieris viuendi via , & ratio ; & cum harum viduarum , quas comme-

G

moraui,

Panegyricus nuptiarum

moraui, illa sequeretur sectam, atq; instituta: quis il-
lam assecutam esse negabit illarum vitam, quarum in
his spaciis religionis, primo imp̄resserat vestigia? Quā-
do illa à templo discessit? quando egenum destituit?
quando genio indulxit? Norma hæc vidua, & regula
pietatis, non huius quæ nuper increbuit, sed illius
antiquæ, fuit: est hæc diuina, atq; incredibilis virtus
huius sanctissimæ viduæ. Quid cæteræ virtutes, quæ
in hac eadem splendescunt maximæ? vt sunt vitæ gra-
uitas, morum facilitas, silentium, atq; linguæ tempe-
ramentum, tum submissio, quam Ecclesiæ more hu-
militatem appellemus licet, quæ tanta in hac vidua
est, vt ea, quæ dignitate principibus fœminis excel-
lit, humilitate infra infimas esse videatur. O fœlicem
Piastum, o præclaram illius gentem, quæ sanctissimis
orta iniciis ad hæc mulierem potissimum est redacta,
in qua Piastus in Masouia potissimum desineret.

Sed quid dico desineret? immo vero viueret, vi-
geretq; semper, ac nunquam interiret. An ego Pia-
stum, ac gentem illius interiisse dicam? cum videam
sobolem illius, per quam ille viueret, ex hac ipsa Anna
esse propagatam? Habemus enim Sophiam ex Anna
genitam, matri vita, moribus, consuetudine similem:
ita, vt qui vnam norit, ambas nouerit. Quæ ita edu-
cata, institutaq; est, vti summa nobilitate illius, & matre
dignum fuit; quæ cum esset non solum generis, sed
elusion summæ

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouij.

summæ etiam pecuniæ vnica hæres: quasi ita necesse esset, ut conseruatoribus patriæ mercedis loco deberetur: in eam familiam potissimum nupsit, quæ spes v nica dubiis regni temporibus, habita in Polonia sem per fuit.

Quis enim vestrum ignorat? aut cui hoc inauditū est, gentem Tarnouiam columen regni, ac decus, antiquitus ob virtutem habitam fuisse? quæ continuatis honoribus, ac magnis rebus gestis, ab aus & ataus, ad hunc usq; Ioannem Tarnouium Castellatum Cracovieñ. huius sponsi patrem, claruit. Qui magnus ipse cùm magnis in familia successisset: sic illorum auxit, cumulauitq; gloriam: vt & illos a quibus ortus est vinceret: & ceteris spem imitandi sui adimetet.

Nihil do hoc loco clarissimi viri aurib^o, sed id, quod vos taciti assentimini, affirmo: tantū hunc virum in Polonia esse, quanti Romę olim fuerunt Curij, Corucani, Scipiones, Lelij, Catones, Maximi, & ceteri sumi viri, quorū meminit vetustas. Ut enim ad illos de omnibus diuinis, atque humanis rebus, olim Romę referebatur: sic ad Ioannem Tarnouium nunc in Polonia refertur: idemq; & in senatu, & apud populum, & domi, & militiæ consilium suum, fidemq; prestat. Quanta vero huius viri ex priuatorum negotiis collecta in regno sit gratia: quanta ex publicis causis apud Regem rerum omnium illius sit fides: quanta

Panegyricus nuptiarum

apud omnes ex sapienter dictis, atq; factis authoritas: inde apparet, quod summa senectute apud Polonos meruerit nomen Patriæ Patris: oraculumq; ciuitatis appelletur: quo fit vt nemo illo iam sit in Polonia, neq; apud populū author grauior, neq; apud Regem Senator melior: idemque sit apud exercitum facile optimus Imperator.

Cuius auspiciis, atq; ductu, Daciam bellicosissimam gentem, cæsis ad Obertinum legionibus, sub iugum misistis: Moscouiam infinitis cladibus confectam, capto, & delecto Starodubo, pacem petere à vobis coegistis: postremo Scythiam ipsam magnis copiis imminentem Poloniæ, hoc eodem imperatore inuicto, sepius repressistis. Nam illa, nimis vetera fortasse, prætermitto: vt adolescentulus à Sigismundo Rege, ad Albam Græcam obsidione liberandam, in Vngariam contra Solymānum fuerat missus: vtq; domo militatum profectus, Lusitano Regi contia Mauros strenuam operam nauauerit. Sed hæc sunt externa: illa vero domestica, quis vt par est laudauerit? quod nulla Poloniæ sit pars, in quam non extet huius viri memoria beneficij sempiterna?

Vidisses hunc virum Agamennon, né tu Nestorem illum tuum mirari tantopere desisses: Neque tu Homere tantum prudentię Vlyssi, neq; bellicæ virtutis tribuisses Achilli, si hunc hominem cognouisses:

pro-

Ioan: Christop: Comitis Tarnouij.

profectò aut hunc illis, vere si existimare velles, anteponeres : aut si tuos Gr̄eos nimium amares , huic pares illos esse diceres: superiores certè quidem nullo modo.

Præsertim cum non solum illis rebus, quæ ingenio, animoq; excelsō fiunt, hic noster excellat: sed etiam illis, quæ in animo, sensuque nostro penitus affixa , & insita sunt: quibus qui moderatur , & imperat scienter, non minus decorum , atque gloriosum illi est , quam Troiam capere , aut Hectorem necare : charitatem liberorum dico: quibus tantum sapientissimus Vlysses indulserat, ut ad Telemachum filium à Troia Ithacam properans , immortalitatem oblatam à Diis contempserit. At quanto hic noster Polonicus Vlysses sapientior? qui natum cum haberet vnicum, spem vnicam familiæ, generis, nominis, ingentisq; pecuniæ: ita tamen vicerat ipse sese, ut filium paruulum , ex sinu ægrotæ & iam iam morituræ matris anulsum, ad Ferdinandum Regem mitteret; nulla domi spe relicta , qua orbitatem consolaretur suā, si quid filio humanitus accidisset foris. Vehementer laudandus est hic, indulgentiæ erga liberos, sapientissimi patris modus : ac pro exemplo ponendus iis, qui deprauant ingenium, & eneruant animos libero- rum, facilitate, & indulgentia prava: quos cum à suo latere nusquam volunt discedere; degeneres, & inuti-

Panegyricus nuptiarum.

Ies filios reddunt. At nō talis infilio vnico noster fuit Tarnouius, qui maluit in dubiam vitæ aleam filium domo extrudere: quām illum degenerem & indignū nomine, ac sanguine suo, in familiā post se relinquere.

Itaq; hunc ē sinu matris, vt dixi, auulsum, in Germaniam ad Ferdinandū, nō sui temporis modo, sed omnis ante se memorię cuilibet Regum parem, Romanum Regem, miserat. Cuius inter Reges quanta sit authoritas, quanta virtus, quanta religio, quod studium existimationis bonæ, dicerem: si mea laudatio aliquid apud vestros animos momenti haberet: aut si aliquid honoris huic Regi adderet.

Audacter tamen hoc dico: nec temere confirmo, id quod vobis testibus probare possum: hunc Regem consilio, grauitate, constantia, cæteris virtutibus, honoris, ingenij, ac rerum gestarum ornamenti, maximum, & spectatissimum esse.

Hunc ergo tales, ac tantum Regem, Ioannes Tarnouius potissimum delegerat, in cuius disciplinam paruum suum filium, matris indulgentiæ præceptum mitteret: vt inter filios Ferdinandi, orbi terrarum designatos Reges, adolesceret: & ipsum Regem Ferdinandum mox primis miraretur ab annis: & sub hoc tolerare magistro militiam, & graue Martis opus, tum ipsius cernere facta assuesceret: apud quem eo honore hic puer fuit, quo apud sapientissimum regem summi viri filius, esse debuit.

Cuius

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouij.

Cuius ineunte^m ætatem, in illa Regia disciplina,
ita bonus per fideles magistros muniuerat pater: vt
non solum rerum turpidini, oculos: sed etiam verbo-
rum obſcœnitati, aures filij clauderet. Itaq; cùm ma-
gnitudine, & honestate rerum totum filium Tarno-
uius ita occupasset, vt nihil flagicij, neq; dedecoris in
animum illius posset influere: tantum hac cura per-
fecit, vt quod diffīcillime inter mortales reperitur, in
tanta præſertim adolescentum licentia, & corrupte-
la, ad xx. annū, mulier quid esset, præter vxorem ne-
ſciret. tantum valuit optimi cura patris, vt is adole-
ſens integrā pudiciciam ad vxorem afferret, & illi-
batam in matrimonium dicaret. non prius hunc iu-
uenem meretrix viciauit, quām vxor cognouit: non
prius ille Ericinæ Veneri in ganeo, quam Christo vir-
gini, virgo in matrimonio sacrificauit.

In talem disciplinam Tarnouius filium suum mi-
ſerat: cum quo exierant duo adolescentes, in quibus
magnam iam ſpem maiores natu dignitatis ſuæ col-
locarant, Ioannes Latalicius Posnaniensis, & Nico-
laus Meletius Podoliæ, Palatinorum filij; vt in eadem
disciplina apud Ferdinandum Regem, cum Ioanne
Christophoro adoleſcerent.

Sed audite multo maius, præclarusq; huius præ-
ſtantissimi viri facinus. Talis enim hic vir est, vt ipſe
ſecum ſemper certet: ſeq; ipſe nouo beneficio vincat.

Matre

Panegyricus nuptiarum

Matre adolescentis mortua , tum demum filium domum accersit : id nimirum metuens , ne tener adolescentis animus, nondum ratione , & consilio firmatus, suauitate matris deintegro remollesceret. Quare, ab hinc triennio , ut adolescentia incerta filij , certo vitæ insisteret iugo: hanc, quam dico Sophiam, hu- ius clarissimæ Annæ filiam, illi despōndit: nec quicquam amplius tum rei cum hac, filio esse voluit. Non quod non matura vtriusq; ætas nuptiis esset: sed quod angeret ingentis spiritus virum ipsa adolescentia: quæ semel capta, & in amore occupata, nihil magni, neq; præclari, neq; agere, neque cogitare posset: quod in alieno corpore mens amantis viuat, cum quo dies ac noctes circumagit tam prælens quam absens. Id metuens homo sapientissimus , & diligentissimus pater Ioannes Tarnouius, à consuetudine vxoris filium separat: & iterum illum in alienas terras ablegat: vt quod restaret ad adolescentiam temporis, cuius xx. annos iustum tempus maiores esse voluerunt: id non voluptatibus ille, neq; vxoriis amplexibus, sed visen- dis regionibus, ac cognoscendis moribus, potissimum impenderet. Erat virginis forma insignis, & floren- tissima ætas: quæ ne ingressum iuuenem in præclaras res, repente, quasi quidam æstus, abriperet, sponso apud sponsam, extra dexteram, ulterius prodire, per se- nem non licuit.

Quam

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouij.

Quām hoc durum facinus patris fuerit? quām mæstus
adolescētis animus, cum vxoreni ætate, atq; forma flo-
rentissimam, subito relinquere, & alienas terras patris
imperio petere cogeretur? Nō hoc erat animā ē corpo-
re euellere? & exvno hōine geminos homines facere?
Sed cūm Ioannes Tarnouius, prisce seueritatis vir, sci-
ret se filium Reipub: causa suscepisse, in qua ille non
posset excellere, nisi ad Vlyssis Homerici modum, ve-
stigia parentis secutus, multorum hominum videret
mores, & vrbes: hūc ab vxore semotum, idem facere
volebat, quod ipse adolescens olim gloriose fecerat,
vt dum ingenio experientiam subsidio querit, Euro-
pam, Asiam, atq; Africam longissimis spaciis pagra-
ret: quò præclarè puer institutus, dignitatē gene-
ris, ex familia: celebritatem nominis, à prudentia:
authoritatem senatoriam, ex rerum cognitione, atq;
usu caperet. Nā qui peregrinationem contemnit, &
vitam à pueris ita instituit, vt domi inclusus, quid fo-
ris agatur nesciat: is excellere consilio senex, si cupiat
maximè, non potest. Itaq; Ioannes Christophorus,
cum illis, quos dixi, duobus nobilissimis adole-
scētibus, Latalicio & Meletio, domo iterum profe-
ctus: salutato primūm Ferdinando, filiisq; illius Vi-
ennæ, Germaniam totam sic obuiuit, vt quicquid in ea
locorum, hominum, virium, atque ciuitatum vi-
sendum fuit, cognosceret: neque viros princi-

Panegyricus nuptiarum

pes prætermitteret. Nam & Ottonem, decus & orna-
mentum Cardinalicij ordinis, Augustæ adiit: & Caro-
lum Cæsarem in Belgio veneratus est: tum in An-
gлиam ad Philippum Regem transmisit: deinde Italiā
explorauit: postremò Iulium Pontificē adorauit Ro-
mæ, sumpto ex veteribus illius adorandi more.

Atqui quoscunq; populos, & ciuitates, atq; Re-
ges adierat, iis præsens ab illis affectus fuit honoribus,
qui illi ætati haberi poterant amplissimi. tantum illi
gratiæ conciliauerant ad omnes, cum parentis ipsius
dignitas, tum morum commendatio bonorum: adeo
ut Iulius Pontifex super cænam, admiratus adolescē-
tem, quòd nullam rem immoderatè positam, nullum
ab aliqua temeritate prolapsum verbum in eo vide-
rat, dixisse feratur; credibile sibi non videri, hunc in
terra natum esse barbara. Magna laus ab eo presertim
homine, cuius nutu prope terrarum orbis regebatur,
ut quicquid ab illo diceretur, id ex oraculo dici puta-
retur.

Sed tamē bona cum venia, scire ab illo summo Sa-
cerdote velim, cur nam illi Polonia, terra vīla sit bar-
bara? Nam si barbarorum est in diem viuere; Poloni
qui consilio reguntur certo, barbari non sunt: aut si
barbarorum est incertos deos colere, quomodo Polo-
ni erunt barbari, qui publicè Deum venerantur trinū,
& vnum? Iam illa præstans, & excellens doctrina, qua

vera

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouis.

vera discernuntur à falsis, turpia ab honestis, iusta
ab iniustis: si eos, qui illam habent, vetat esse barba-
ros: quomodo Polonia humanissima non erit? quæ
omni doctrinarum genere est florentissima? quæ re-
ferta doctissimis viris est? plena literarum Græcarum,
atq; latinarum? Venisses in Poloniā Iuli, næ tibi Po-
lonia, non terra barbara, sed ipsa altera visa fuisset Ita-
lia, cum Polonos pro vernaculo sermone, sermonem
sonare audires latinum.

At si illud verum est, vti certe est, quod autore
Socrate scriptum reliquit Plato: tales hominum ani-
mos esse, quales illorum sunt sermones: fateare Iuli
Polonos humanissimos esse, quorum os sermonem
humanissimum resonat latinum. Quare nos vel hoc
ipso sermone latino laudatore, atq; teste utemur ad-
uersum te, & aduersus Italos tuos, ne vobis barbari
esse videamur, qui omnibus illis artibus, quibus ad
humanitatem informamur, à vobis Italos potissimum
instituti sumus. Sed ego hæc nimium fortasse; ouis
ad pastorem, filius ad patrem.

SECV ND A PARS

Quæ solenne ipsarum nuptiarum continet.



Vnc ad Ioannem Christophorum Tarnoui-
um adolescentem, atq; ad illius nuptias re-
uertor: qui omnibus probatus, summi etiam

Panegyricus nuptiarum

Pastoris voce laudatus, sic integra existimatione atq; fama, triennio exacto, à patre domum est reuocatus: utpote cui pater spem generis, dignitatem familiæ, amplitudinem sui nominis, viuus esset traditurus.

Quare cùm sèpe videre illam optaret diem, quo illi liceret cum nobilissima vxore maritum videre filium: cùm iam ætas iusta matrimoniò esset: ad diui Michaelis ferias illius constituit nuptias: ad quas multos Principes vocauerat, multos etiam Senatorij ordinis clarissimos viros. Anna etiam sponsæ mater, vt Regia domo prognatam mulierē decuerat, sic profectiōnem filiæ ad sponsum adornauerat, vt comitata summis viris, ac fœminis clarissimis, ornatissima cumpoppa, ad virum proficiseretur. Aderant præter cæteros qui deducebant sponsam, duo principes Regni Palatini, quorum Stanislaus Tęczyński, Cracouensis Palatinus, homo in ea familia natus, quæ propter virtutem, robur & firmamentum Regni Poloniae semper est habita: qui ob singularem commendationem cum generis, tum ingenij, summos honores in Polonia facilime est adeptus: qui mox quām ex legatione Turcica, quæ illi amplissima fuit, domum rediisset, ad summos honores, Regis optimi beneficio, peruerterat; ex Castellanatuq; Leopolieñ, multis in medio intermissis honorum gradibus, per Sandomiriensem, ad Palatinatum Cracouiensem ascenderat; qui hono-

Ioan: Christopb: Comitis Tarnouij.

ris gradus, Castellanatui Cracouiensi proximus in Polonia habetur. Tantus honos ab iustissimo Rege huic viro est habitus, vt is post Ioannem Tarnouium secundo loco, in senatu sententiam diceret.

Huic in traducenda pompa Spithko Iordan de Zaklicino, Sandomiriensis Palatinus, loco & dignitate Stanislao Tęczynski Palatio proxim⁹ ibat comes. Erat is sponsæ germāus patruus, cum Stanislao Odro-was sponsæ patre vna matre editus. Hic commenda-tione ingenii, & generis ac virtutis laude, ex inferio-ribus ordinibus, ad summos magistratus Regni, eodē tempore quo & Tencinius peruererat: Palatinus q̄, Sandomirieñ ab Augusto Rege declaratus, multis præfuit Regni præfecturis, quarum Przemissiensis, mu-nicipii nostri præfectura, honorifcentissima illi fuit.

Hi duo, vt dixi, Principes Palatini, cum cæteris amplissimis viris, magno comitatu ad virum deduce-bant sponsam Sabbato, pridie diui Michaelis festi. Vehebatur aurata in rheda cum matre decora virgo, quam sequebantur multæ Senatorum vxores, nobis-lissimæ matronæ, ac fœminæ clarissimæ.

Cui aduenienti ex Jaroslaui, in Predworsciano occurrit Ioannes Tarnouius cum filio, equites am-bo: aderant vna honoris causa, Basilus Ostrocensis Dux Tarnouij gener, tum Martinus Zborouius Ca-lisieñ, & Nicolaus Sieniauius Russiæ, ac Ioannes Me-

Panegyricus nuptiarum

letius Podolix , Palatini , fortissimi viri, ac magnis
rebus gestis in Polonia clarissimi : Ioannes quoque
Ocieski Cancellarius Regni cum his aderat , cui in-
genio, prudentia , eloquentia , cæterisq; ad Cancel-
lariatū virtutibus omnibus, haud scio an Polonia ali-
quando habuerit parem . Longum est enumerare
cæteros maximos & spectatissimos viros , quorum
præsentia congressus ille fuerat honestatus . Ibi tum
Tarnouius senex , ad Tobiæ illius veteris modum ,
nurum salutauit vt filiam : precatusq; Deum est , vt
illius in familiam suam aduentus , sibi , filioq; , domui-
que suæ , benè & fœliciter eueniret . Præbuerat tum
Tarnouius veterum Patriarcharū speciem : qui nu-
rus suas , vt cœlitus demissas Deas , excipiebant ; qua-
rum fido gremio sanctum in familia , & à Deo benc-
diçtum , ab illis mandaretur genuc.

Huius autoritate plenissimæ orationi , respondit
Spytko Palatinus , sponsæ , vti iam dixi , patruus : cuius
orationi nec pondus sentetiis , nec fides verbis defuit .

Data , ac redditæ vltro citroq; salute , in Gorlicinā
ordine longo veniunt . Vicus is Predworscio oppido
Russiæ Præmisliensis Prefecturæ , vicinus est : in quo æ-
dificatum erat amplissimum ædificium , quod specie
castelli præbuerat , vt illam turbam conuentumq; ho-
minum , quamvis numerosum , facile caperet .

Vicum ingressi , ac de via fessi , cænaq; refecti , cū
iam

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouij.

iam Oceano rueret nox , in suo quisq; diuersorio re-
quieuit.

Postridie mane adornata sponsa, sacrificatum est:
ac magno concentu à Symphoniacis sacrum illud est
decantatum, in quo Dei spiritus , vt illi matrimonio
aspiraret, votis publicis inuocatus est.

A sacro,in triclinium magnificè stratum, itum est:
ac pransum. Hic ego prætermittam, qui fuerit appa-
ratus in epulis, quæ in uitatio in poculis , quanto au-
ro argentoque instructus abacus , quo sermone læ-
ticiaq; celebratum fuerit conuiuim, vt deinde secu-
ti à prandio sint chori atque ludi : tum cœna : vtque
hæc omnia fauente etiam cœlo euenerint ex senten-
cia: prætermittam inquam hæc dicere , quòd hæc ad
vulgi admirationem, magna ; ad cogitationem sapi-
entum, nulla sunt. Quare ad illa magis properat ora-
tio, quæ vitam instruunt, ac pro exemplo aliis sunt,
quæ ex his nuptiis sumi possunt: quæ vtique potio-
ra sunt iis quæ gutturalunt, aut vulgi sensus mouent.
Vna mehercle oratio Ioannis Tarnouij Castellani,
qua is gratias egit matri pro filia ; est omnibus illis
sumptuosissimis epulis , & omni illi auro & argento,
byssoque & ostro , quibus illæ collucebant nuptiae ,
anteponenda; quæ docet, quām perniciosa illa sit vul-
gi vox, cūm alibi, tum in matrimonio constituendo,
vincat utilitas : & item illa , o Ciues , Ciues querenda
pecunia

Panegyricus nuptiarum.

pecunia primū, virtus post nummos : quæ voces nefariæ, quoniam nimium sœpe valent; ideo in deligen-
da uxore multa peccantur : & quoniam non fides,
non sacramentum, non deniq; sperata posteritas, sed
iniqua matrimonio queritur pecunia ; ideo pessima
vulgo nascitur soboles, progeniem mox datura peio-
rem. Quare pro epulis, & pro ludis, quibus octo dies
totos personabat Gorliczyna, audite orationem Io-
annis Tarnouij optimi viri: cuius ego, ut vestræ facietati
occurram, capita quædam, pauca præfatus, ponam.

Est hoc in more apud Polonus positum, ut sub-
secuta nuptias nocte, deducatur in thalamum à parē-
tibus, & cognatis ac familiaribus, ad virum sponsa:
ibiq; apud genialem lectum, virginis pater, aut qui est
genere proximus, magna autoritate in manus nuptā
tradit viro ; aut etiam, si qui forte præsens adest, vir
pietate grauis ac meritis, huic prouincia datur, paren-
tum nomine virginem emancipandi, ac de potestate
patria in ius viri illam transferendi: quod sane nupti-
arum solenne, grauissima apud Polonus ceremonia
continetur. Quicquid enim iuris habuerint parentes
in filiā, à Deo & à natura ipsis tributum, id omne
transferunt in filiæ virum: hunc illi patrem, patronū,
ac tutorem dant, nulla potestate patria in filiam pe-
nes se relicta: atque hac via sola liberi apud Polonus
de potestate parentum exeunt, nec alia ratio emanci-
pandi

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouij.

pandi liberos apud nos, quod quidē ego sciam, ignarus fori, atque iuris. Pro hac ratione Spythko Iordan Palatinus, de quo antè est dictum, orator dulcis & breuis, apud genialem lectum preclarè pro matrimonio exorsus; exposuit, quantum humano generi à Deo Optimo Maximo connubio concilietur decus, ita ut hoc ipsum per se dignitatem hominis sustentet: alia verò sine hoc, quamvis magna, atque præclara, hominem deceant minus. Submouuit itaque ambos, ut matrimonii initum ita colerent, vti è re, fideq; sua censuerint. Et quoniā pater sponsæ moriens, Ioannē Tarnouiū Castellaniū, tutorem testamento pupillę de disset: non oportere tutorem in illius iure à le impecdiri, quin ille patris partes ageret, & sponsā viro, iure pattio, in manus traderet; quandoquidem potiores tutoris apud pupillam partes essent, quam patrui.

Huc accedere, quod difficiliorem sibi virginis traditionem faceret: quod pater virginis, frater sibi erat, cuius maiores ob virtutem Odrowassij magni sunt appellati: vix se posse idem laudare genus, ad quod ipse materno genere quoque pertineret! Iam mater sponsæ, omnibus laudibus, & generis & virtutis cumulatissima fœmina, tantum excelleret: vt dē illius præstantia satius fuerit tacere, quam non satis pro dignitate illius loqui.

Panegyricus nuptiarum

Ita hic orator dum laudes sui fratris, illiusque vxoris,
dissimulat sedulò, id assequitur, ut amplissimè tam
glos, quām frater, ab illo laudati esse videretur.

Cui responsurus Ioannes Tarnouius, pro filio as-
surrexit: ac paululùm moratus, commemoravit pri-
mò necessitudinem, quæ illi fuerat cum spōse patre,
viro genere & virtute clarissimo: deinde dē tutela
modicè ac verecundè attigit; vt tamen quiuis intellige-
ret, summæ curæ illi pupillam semper fuisse: tum
progressus longius, ostendit, quæ nam causæ illum
ad illam virginem, vxoreni filio diligendam impule-
rint. Esse quidem in illa virgine sumum genus, sum-
mam formam, & summam pecuniam: sed quod tam
genus, quām pecunia, fortunæ bona essent; forma
etiam bonum esset & possessio temporis; ideo hæc
incerta, & caduca nunquam filio suo magnopere
optasse, neq; expetisse: habuisse se antiquitus com-
paratas facultates domi, quibus Dei beneficio, vitam
& dignitatem filij sui tueretur: omnem sibi, in deli-
genda vxore filio, stetisse curā. Et cum talem nurum
quereret, cuius fidei, vñā cum filio, nomen & gentem
Tarnouiā posset tradere, nulla sibi hac virgine aptior
ad eam rem esset visa, quæ tali matre genita, ita essem
educata, atq; instituta, vt spes sit, arbori, sic enim die-
cebat, suum simile, fore pomum. Ego, inquit, Illu-

strissima

Ioan: Christop: Comitis Tarnouij.

Strissima Princeps, non pecuniam concipiū tuam,
quamuis ea ingens, & copiosa sit: non genere captus
sum tuo, quod tam amplius, & preclarum est, vt Re-
ges atauos, & Cæsares proauos habeat: non villani de-
niue rem tuam expetim, quam aut fortuna auferre,
aut tempus mutare posset. Sed tua me pietas, tua
casta, integraq; vita, maximeq; hic modus animi, ista-
que humilitas, qua excellis: tua me limina adire, &
abste filiam tuam vnicam, vxorem filio meo vnicō,
petere coegit: quæ tua diuina & egregia virtus, tantū
apud me valuit, vt si non eo genere essem, neque cum
ea dote filiam haberem, sed inter infimas mulieres vi-
tam degeres; tamen affinitatem tuam cuperem, & ab-
ste filiam tuam flagitatem, quam filio meo vxorē da-
rem: hancq; dotem amplissimam obtigisse filio meo
putarem, cùm te moribus, filia tua, nurus autem mea,
referret. Nunc autem, quandoquidem excellentis a-
nimi tui, filiæq; tuæ bona Deus, etiam bonis cumula-
uit externis: ne ingratus esse videar, primū Deo Opt:
Max: gratias ago, qui talem filio meo conciliauit vxo-
rem, cui ad fœlicitatis humanæ summam nihil deesset.
Deinde meum erit officium, dare operam, ne te, cum
istis bonis, in meam familiam dedisse filiam, vñquam
pñeiteat. Atq; huius meæ erga te filiamq; tuam vo-
luntatis obsidem, en meum tibi tradò filium: hunc
capito & pro filio habeto, ego tuam vicissim capiam

Panegyricus nuptiarum

filiam & pro filia habebo, & illam ita retinebo, ut ius fasque patri est. Et simul filium in manus illi dat: filiam ipse, ut pater, obuiis vlnis indulgenter amplectitur. Praecolla emancipandi, adoptandique ratio.

Digna verò fuit hæc Tarnouiorū genere oratio: ex qua licet cernere, in Tarnouia domo vilius esse, ac semper fuisse, virtutibus aurum. Sic enim hæc gens Tarnouia est, ut nihil alienum magis homine ducat, quam amare diuicias: nihil contrà hoc eodem homine dignius putet esse, quam pecuniam, si adsit, ad beneficentiam, liberalitatemq; conferre: ex qua ratione neq; cupidos, neq; rapaces, neque tyrannos, neq; eos deniq; quos θυμοθόνοι appellant Græci, in ea gente reperas. Quare hæc huius senis oratio, mirum non est, si tantum præstulit pecuniæ contemptum: ab ipsa enim natura facta, nō ab industria composita, ex tempore missa fuit.

Post viri digressi, & officio functi, excesserunt è thalamo: sponsa mulieribus intus relicta: quæ, ut mulierum est ingenium, nunc votis, nunc lachrymis sponsam prosequutæ, omnes gratias, cupidinesq;, ac Veneres ipsas, non illas infames, sed has cœlestes, noua in virginis connubia, circumfusæ vocabant.

Mater etiam lectissima, moestissimaq; femina, cui miseræ iam nulla voluptas, nullum solatiū hoc auullo, restaret domi, filiam complexa, lachrymans in manus

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouij.

manus dabant viro : & apud genialem lectum , quem
textili pictuta ornatissimum filio pia mater strauerat,
natam ponebat in generi fidem, ac potestate.

Hic ille, iam tandem aliquando tradita sibi super-
nè prouincia, quam tot votis, tanto tempore, manus
in cœlum porrigens exoptarat, ut vñquam illi per pa-
trem liceret ex illa peregrinatione, quasi ab exilio do-
mum reuerti , ac bona pace florente vxore frui : tem-
pus iam esse ratus, sorte datam inire prouinciam: cæte-
ras mulieres omnes, quæ illius non essent iuris, de sua
prouincia iubet decedere. Parent illæ , ac discedunt
cum matre, mœstæ , vtpote quæ Sophiam non ampli-
us virginem, hoc prætore, essent visuræ . Et quoniam
huic viro, vxor nobilissima & integerrima, prouincia
est, vt connubio iuncta stabili , propria , & illi dicata,
omnes cum illo exigat annos, ac pulchra prole illum
faciat parentem: omnes id velle, & optare debemus.

Postridie, dum tempus erat , noua nupta aggre-
gatur, apud templum à sacerdote, mulierū choro, so-
lenni ritu : deinde à sacro itur in cœnaculum illud
grande. Quo in loco à Principibus viris munera am-
plissima illi sunt missa : princepsq; Ioannes Tarnoui-
us sacer, nurui suæ , per Stanislaum fratris sui patrue-
lis filium Regni Quæstorem, nuptias gratulatus, mo-
nile è gemmis auroque perfectum dono illi misit, ea
varietate operum, vt ars certare videretur cum copia:

Panegyricus nuptiarum

tum pateras, ac scyphos quamplurimos summi pre-
cij, quos dignos in suo argento mulier primaria ha-
beret: auri item signati Vngarici M. nummū. Ibidem
quoq; Quæstor, viri nomine, singularibus verbis apud
matrem collaudata nouæ nuptæ pudicicia, ea illi mu-
nera obtulit, quibus solæ vterentur Reginæ. Erat mo-
nile gemmis distinctum clarissimis, tum annuli, scy-
phi, ac pateræ, ponderis, ac precij maximi. Hæc mu-
nera digna fuerunt, quæ à viro, & à socero, mitteren-
tur nouæ nuptæ ex Tarnouia domo, ex tam locuple-
te, tamque vetere familia: quæ ille Quæstor, vir cla-
rissimus, verbis ornauerat singularibus.

Hunc subsecuti per legatos ex Sylesia Duces, nouā
nuptam ornarunt verbis, muneribusq; amplissimis.
Basilius quoq; Ostrocensis Dux gener Tarnouij, nec
officio, nec munere, cæteris Principibus inferior fuit.
Palatini etiam illi de quibus priùs est dictum, clarissi-
mi viri, munera per internuncios miserant, & digni-
tate sua, & illis nuptiis digna. Prætero alios; qui
præsentes, & absentes, mittendis muneribus, suam er-
ga has nuptias obseruantiam testificati sunt.

Vnum tamen præterire nequeo, virum genere,
virtute, ingenio, authoritate, animo, & cōsilio excel-
lentem, Nicolaum Radiulum, quem ob singularem
illius animi & consilij præstantiam, inclitus Rex
Poloniæ SIGISMUNDVS AVGVSTVS omnibus sū-
mis in

Ioannis Christophori Tarnouij.

mis in Lithuania præfecit honoribus: ad illum quæ
vnum, quod in alio homine non vidimus, & Palati-
natum Vilnensem, & Cancellariatum ac Marsalca-
tum, summos in Lithuania magistratus detulit: quod
iudicium secutus optimi Regis Carolus Cæsar, hunc
etiam eundem hominem inter Principes Romanos
retulit. Is ergo talis, ac tam excellens vir, cū Lithua-
nicis rebus apud Regem detineretur Vilnæ, nec ipse
pro necessitudine quæ illi est cum Anna nuptæ matre,
obire has nuptias posset: Ioannem Grajowski strenu-
um & nobilem virum, familiarem suum miserat,
qui & absentiam illius excusaret, & munus offerret
nuptiale amplissimum: Qui suo loco munus cum da-
ret, apud sponsam commemorauit primò necessitu-
dinem generis, quæ hero suo Nicolao Radiuilo esset
cum illius matre: vtq; Anna Radiuila patris eius so-
ror, ex Conrado Masouiæ Duce, Annam genuisset
eius matrè: vtq; secū idem Nicolaus Radiuilus nuptā
haberet Helisabetā eius viri germanam materteram.
Quare cupere Nicolaum Radiuillum, hanc summam
necessitudinem sibi cum illa, omnibus officiis fore
cumulatissimam: gratumq; & iucundum illi esse,
quqd in eam familiam potissimum nuperit, quæ
omnibus generis, virtutis, ac rerum gitarum or-
namentis, in Polonia esset florentissima: quam vt illa
noua augeret vegetaretq; sobole, id omnibus votis

Radiui-

Panegyricus nuptiarum

Radius illum cupere : & huius animi sui signum , hoc munus illi mittere.

Hic modus, hæc ratio nuptiarum, atque hic finis fuit, qui post dies octo demum, in summa omnium læticia, ac rerum omniū affluentia, fuit subsequutus.

T E R T I A P A R S,

Quæ docet, geniturā nihil ipsam per se valere, virtute cassā.



T quoniam noster quoq; Panegyricus in exitu est: in eius postremo quasi actu , paucis te volo, Ioannes Christophe Tarnoui, ad cuius decus, & ornamentum, tot ac tanta simul Deus rededit bona, genus, familiam, patrem , ingenium, opes, institutionem, ætatem, formam, vxorē, ac famam, existimationemque bonam: quæ eiusmodi sunt, ut te obliuisci non sinant, quo loco in Polonia sis, quam spem sustineas, quid dare patriæ, quid reddere maioribus tuis debeas , à quibus habes non solum opes, sed etiam celebritatem nominis, tritamq; viam ad gloriam. Nam cum pater maioresq; tui omnes, in honoribus Regni, in potestatibus, in imperiis gerendis, sic sint versati, ut periuagetur vbiq; multorum & magnorum illorum fama in patriam meritorum: facilem tibi aditum ad consimilem gloriam fecerunt: si quidem illos, à quibus es ortus, imitabere viuendo,

& si ca-

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouij.

& si caueris , nequa tuo generi macula, atq; ignomi-
nia abs te suscipiatur. Nā qui maximè gloria & laude
ducuntur, in primis vicium fugere, & cum maioribus
suis virtute certare debent : quos etiam vincere, illis
gloriosum est. Præclarè siquidem Sthenelus apud
Homerū gloriatur, se bellatorē esse meliorem patre.

Nec solū in studiis militaribus , liberos præstare
parentibus gloriosum est: sed etiam in ciuilibus, quæ
ingenio, opera, atq; industria sustinentur. qualis fuit
pater tuus, qui cùm primus doctrinam in vestram fa-
miliam intulisset , Philosophia cumulauit maiorum
suorum bellicam gloriā. Non satis habuit pater tuus,
ex maximi spectatissimisq; viris nasci: nisi ipse non
adæquasset solū, sed superasset etiam eorum ipso-
rum, à quibus ortus est, gloriam.

Nam qui maiorum gloria succincti ita ambulāt,
vt ipsi nihil laude dignum gerant: similes habendi sūt
colossis illis , quas tu Romæ statuas, humana effigie,
vidisti grandes : quibus ad speciem cùm nihil sit pul-
chrius, intus tamen infarcti sunt terra, ac cætero hu-
iusmodi intertrimento fœdissimo : sic isti degeneres,
verè, teste Flacco, sponsi Penelopes, Alcinoiique, ac
speciosi aliena laude colossi , suum deducunt genus
ab Ioue sumō : iactant parentes, enumerant maiores,
& illorum fortia facta recensent, habentque pro suis,
& illis ceu possessionibus à parentibus relictis glori-
antur: quasi verò virtutis sit eadem ratio quæ est pe-

Panegyricus nuptiarum

cuniæ, vt ita virtus patris successione deueniat ad filium, vt deuenit illius pecunia. Quare scitè Vlysses apud bonum Poetam, Aiacem refellit, qui in illa contentione nobili armorū Achilis, contempserat Vlyssis genus, extulerat suum:

*genus, inquit, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.*

Itaque etiam si sint omnium flagitosissimi, tantū quia sunt aliquo, verbi gratia, Achille, aut Vlyssle, aut Nestore nati: malo enim poetarum tali in re fabulis quam virorum exemplis vti: digito se cœlum, quod dicitur, putant attingere: sibi solis honores, sibi summos magistratus in Rep: deberi à Regibus arbitrantur, ante illos, qui propria virtute connixi, bellica laude Achillem, prudentia verò adæquarunt Vlyssem.

Itaq; isti degeneri Telemacho, ac Neoptolemo, ne discedamus à fabulis, in Rep: stultorum suffragio Regum, sèpè animosus cedit filius Codri: nec propter aliam ullam causam, nisi quod humilis huic, illi verò nobilis pater fuit. Ita illa inanissima nobilitas, tollit ex ciuitate sapientiam, iusticiam, liberalitatem, temperantiam: deniq; omnem virtutum chorum ex Rep: exterminat, dum homines nobiles & indigni appetunt principatum, vt vir frugi, & in omnibus vitæ partibus moderatus, ac temperatus, plenus pudoris, plenus officij, plenus religionis, plenus operibus,

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouij.

bus & fructibus bonis, præ illis nullo sit apud stultos Reges precio neque numero : præclarè sibi consistere in Rep: putabit ille Neoptolemus purpuratus nebulo, si Achillem patrem suum dicat ad Troiam depugnasse cum Hectore : seque propterea principem publici consilij fieri contendet oportere, quod Achilles ipsius pater, Peleo patre, ac Thetide matre fuerat generatus.

Vides, Ioannes Christophore, quanta labes ciuitatum sit, genitura, virtute, quasi dote, cassa: dum homines dignitati anteponunt genus: & dum principum filij in flagitiis exacta ætate domi, nihil habent maiorum suorum simile, præter inane ipsius nobilitatis nomen. Quamobrem hæc mala admoneant te: memor sis, quod in clarissima familia natus cū esses, non fuerat eo pater tuus contentus : neque hactenus tibi dignitas stetit tua, neque ad has generis tui metas hæsistī: sed longius ab optimo patre productus, mox à puero ad omnem honestatem fueris accommodatus, & in aula summi Regis Ferdinandi, quasi in theatro quodam aperto & exposito, didiceris, primò virtute propria niti, deinde genus non mirari solùm, sed etiā imitari paternum. Cogita ergo quantis sumptibus: mitto sumptus: quantis laboribus patris tui fundata adolescentia tua sit, quanta cura institutus, quibus in locis versatus, quibus cum hominibus vixeris, quibus ingenii assuefactus fueris, denique qua cum exi-

Panegyricus nuptiarum

stimatione, atq; fama, speque, domini redieris. Postremo ne hoc quidem in postremis laudum tuarum pones, quod tibi publicè à nobis nuptiales canuntur Panegyrici, pingui licet, sed tamen non inuita, ut videtur, Minerua: quod præter Reges, haud scio an alicui alteri in Polonia, aliquando contigerit.

Quæ omnia magna & præclara, circumstant te, ut te rapiant ad similitudinem, & imitationem paternā: ut non tantum nomine, genereq; sed vita atq; factis quoque velis esse Tarnouius: hæc spes te manet, hoc patria, hoc omnes ciues tui expectant, ut in tua vita, patris tui vitam videamus expressam.

Huic spei & expectationi ut satis facias, ante omnia homines blandos, atq; assentatores abs te segregane sint in coniunctu tuo, pestiferum genus hominum, ad voluntatem cuncta loquentium, nihil ad veritatē: sed si fuerint tecum qui te laudent, adsint etiam queso qui te reprehendant: & si fuerint qui dicant, te Ioannis Tarnouij esse filium, sint etiam qui tibi referant, te nihil adhuc simile patri gessisse: ut ita imitere illum orbis terrarum victorem Alexandrum, qui paternis victoriis minimè lætabatur; propterea quod illi pater nihil negotij ad gloriam, suis assiduis victoriis, relinquere videbatur.

Segrega ergo abs te istos, qui tuis te maioribus, tuis titulis, ac tua te nobilitate tantum, mediis etiam in victiis, videri voluerint magnum: cum illis autem te cō-

grega,

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouij.

grega, qui te tuis propriis laudibus volunt excellere: quiq; te corrigere errantem , & elatum adolescentia & copia, leuiter possint inflectere ad honestatem, grauitatem, temperantiam, magnitudinem animi, iusticiam, ad omnes deniq; virtutes: quibus qui præditus est, verè magnus habendus est.

Et cùm tales homines tecum habueris: ad doctos, prudentesq; illorum sermones, adde familiares Philosophorū libros, vt adiumentis doctrinæ confirmes adolescentiam, & mentem tuam illustres, ac tuum excolas ingenium, in quo natura insunt virtutis atque sapientiæ semina, quod neglectum vicia profert iniunctiva virtutibus.

Tales enim nos natura genuit, vt paruos nobis dederit rationis igniculos, quos labore, studio, doctrina, atq; vsu rerum excitari in nobis voluit, vt cursum vitæ sine offensione confidere possimus. Quòd si nos exercitationem virtutis, atque doctrinam contemnamus: illi ipsi naturales igniculi in nobis, facile malis moribus, & depravatis vulgi opinionibus, restinguuntur, vt postea vanitati, veritas, & opinioni, natura ipsa cedat.

Quapropter quoniam in summa prauitate, & peruersitate versamur, muni, quæso, te aduersus populares insanias, falsasq; vulgi opiniones atq; assentationes, ratione & doctrina. Sit dux vitæ tue Philosophia, non solùm hæc humana, sed multò etiam magis illa

Panegyricus nuptiarum

diuina, quæ te doceat sobriè, iustè, ac piè viuere in hoc seculo, expectantem beatam spem, & aduentū gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi.

Doctrina tibi ostendat, quæ sit vera, & quæ sit falsa gloria: vera enim gloria, est consentiens laus bonorū, & incorrupta vox iudicantium de excellente virtute. Illa enim assentatio quæ dementat diuites stultos, nō gloria, sed pœna peccati quædam est existimanda: offendit enim arrogantium hominum animis caliginē, ac furore illos complet, ut in dedecus proprium, & in aliorum perniciē ferantur præcipites. Huic cupiditati nocentissimæ quam falsa parit gloria, doctrina frēna iniicit, & extrā prodire ad nocendum illam non sinit: quam doctrinā qui contemnunt, stulti sunt Salomōe teste, suntq; homines improbi, ciuesq; nocentissimi.

Et ne philosopher in præsentia multis tecū, quod aliquando, si te hoc genere doctrinæ delectari intellexero, facturus sum Deo duce uberiori: parentē tibi tu imponā, ut in hoc ceu in illustri quodam monumento, potissimum videas, quam vim doctrina ad uitatem habeat. Putas tu patrem tuum, natura tantā præstantiā, in omnibus priuatis & publicis rebus, esse consecutum, absque præsidio doctrinæ? Infer oculos in tui patris recessus, inspice bibliothecas illius, plena librorum optimorum, ac commentariorum, omnia repries: in quibus manu patris tui, ex doctissimorum virorum scriptis, & institutis, omnis doctrina liberatis,

Ioan: Christoph: Comitis Tarnouij.

lis, omnis historia, omnis benè viuendi ars est notata,
atque descripta.

Iam, quid est in arte militari positū, apud Turcas,
Italos, Hispanos, Gallos, Germanos, Anglos, atque
Scythas, quod patris tui scientiam subterfugiat? &
quod in illius comentariis non reperias? Iam leges,
omnesq; administrationes ciuiles, quid habēt, quod
pater tuus in commentarios non referat? Res ipsas me-
dius fidius rusticas, vt ad minora veniam, patertuus
ita notatas habet, vt in agri cultionibus, iugerum di-
mensionibus, & illorum sationibus, Catonis illius ve-
teris imitetur diligentiam, vincat industria. Vides,
Ioannes Christophore, instrumentum sapientię patris
tui, sine quo nemo vir magnus, ad ullam rem illustri-
orem, potest accedere.

Remoue hæc à patre tuo, nullum sit illi cum libris
commertium, illa etiam inexhausta audiitas legendi
nē sit in illo: quanta tandem diminutio huius viri, quā-
tus casus, quanta tum illius esset ruina? næ te tum pa-
tris tui vehementer pæniteret, cùm videres illum à
vulgaris sensu nihil differre.

Sed dices: quid? natura absq; doctrina nihilne ipsa
per se in patre meo valeret? Sieas res species quas pater
tuus gessit, & adhuc gerit, natura ipsa per se ad has
tantas, tamq; excellentes res efficiendas, in patre tuo
parum valeret omnino. quid ita? quia ad res magnas
efficiendas, natura sine doctrina cæca est; doctrina vero
absq;

Panegyricus nuptiarum.


absq; natura est infirma. Itaq; doctrina naturæ lumē est, natura vero ipsius doctrinæ basis est atq; sedes.


Cumulatum ergo , & omni parte perfectum virū patrem tuum, doctrinā ipsa fecit : quam deinde vsus rerum maximarum subsecutus , in tantum honorem, tantamque admirationem, patrem tuum extulit.

Ad hunc conuerte te quæso,& in patris tui nomine acquiesce: hoc existimatore & iudice vitam tuam institue: ab hoc deniq; exemplum viuendi tibi sume, vt inicium vitæ sumpsisti. nemo tibi patre sit autor grauior, neq; dux ad vitam cum dignitate degendam certior: hunc imitare: huius exemplo, barbari, hoc est, indocti hominis, nomen fuge : quandoquidem in doctus homo aliud nihil sit sapientissimis hominibus visus, quām viui hominis sepultura: quod cum turpe in priuato, tum in principe viro est turpissimū. Viue ergo cum doctis, amplectere homines eruditos , pete Philosophos, & ab his rationes benè viuendi sume, vt te sic vitam instituentē, non solūm admiremur , quòd Ioannis Tarnouij sis filius, sed etiam laudemus, quòd illi vita & moribus sis quām similimus.

Hæc habui, quæ de nuptiis Tarnouij, & de illo, vobis dicerem , vt nō solūm delectare, sed etiam docere, hic noster Panegyricus, velle videatur. Dixi.







terby

7553
6

